DE PRAECIPUIS
PARODIARUM HOMERICARUM
SCRIPTORIBUS APUD GRAECOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

DIE XXIII MENSIS MARTII

PUBLICE DEFENDET

ANTONIUS WELAND

HOLZMINDENSIS

SEMINARII REG. PHILOL. ET SOCIETATIS PHIL. SODALIS.

GOTTINGAE MDCCCXXXIII.

IMPRESSIT FRIDERIC. ERNEST. HUTH, TYPOGR. ACAD.

Ἥμαρτον ἢ θηρῶ τι τοξότης τις ὥς.

Aeschyl. Agam.

PRAEFATIO.

Scribere ausus sum, etsi stadio academicorum studiorum vix percurso, quod ita tantum summi in philosophia honores parantur; hanc vero rem elegi ideo, ut adverterem alios ad parodicae poeseos Graecorum genus, cum quoniam latissime patet, tum ob ipsius virtutes dignissimum, in quo quispiam me et aetate et doctrina major studium collocaret. Nondum enim huic poeseos Graecae parti contigit ea lux, qua ceteris nostra per tempora frui licuit. Antiquiore quidem tempore Henr. Stephanus Graecorum parodias, qua solebat et doctrina et acumine tractavit duobus libris: »Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου ἀγὼν etc. Matronis et aliorum parodiae ex Homeri versibus consutae« anno 1573; quem librum duo post annos secutae sunt ejusdem: »Parodiae Morales etc. Centonum veterum et parodiarum utriusque linguae exempla.« Deinde est in Comment. Acad. Paris. Inscr. Tom. VII. dissertatio leviter conscripta Sallierii, anno 1726 praelecta sur l'origine et sur le caractère de la parodie. Inde ab hoc autem tempore, praeter eos, qui literarum historiam scripserunt, potissimum Flögel. Geschichte d. com. Literat. (Lips. 1784. 8. IV tom.),

quantum sciam, nemo parodicae Graecorum poesi operam dedit, nisi Moserus duobus et ipse libris, cum Programmate schol. Ulmano 1819 edito, quo parodias, quae inveniuntur apud Aristoph., Plutarch. et Lucian. collegit, tum dissertatione »de parodica Graecorum poesi«, inserta ea Vol. VI. Studiorum a Daubio et Creuzero editorum p. 267—330. At, ut verum fatear, parum diligenter videtur is rem suam tractavisse. Ita patet, subsidiis non ita multis adjuto opusculum fuisse aggrediendum.

Restat, ut moneam, solas Homericas me tractasse parodias, cum quia magna omnium parodiarum Graecarum pars ad Homerum refertur, tum quia vires videbatur superare, quaecunque sunt apud veteres scriptores parodiae vestigia, respicere. Namque unum Aristophanem attulisse sufficit, in quo de multis locis litigatur, sintne parodice compositi. Attamen ne hoc quidem polliceor me effecturum, ut ne ullus Homericae parodiae auctor hac in disputatione praetermissus sit; sed agere tantum volui de praecipuis parodis iisque, qui integris libris Homerum retulerint parodice. Quamquam enim non ignoro, parodiae obiter et opportuno loco compositae majorem esse vim et jucunditatem, quam quae data opera totum per carmen extenditur, malui tamen pauca proponere, quam quae proposui, non satis perficere.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET NATURA PARODIARUM IN UNIVERSUM.

De Homericis Graecorum parodiis disputanti hoc imprimis spectandum mihi est, ut et quod scribendi genus in universum parodiae nomine significetur, et quo ista modo nata sit demonstrem. Ab ipsa, ut videtur, natura insitum est hominibus studium, si qua scriptoris dicta tetigerunt legentium animos, ea memoriae mandata ad res in humana vita evenientes accommodandi; ita ut servata aliorum verba efficiant vel aliam sententiam. Haec est accommodatio non carens festivitate cf. Stephan. Hom. et Hes. Cert. p. 107. Insigne accommodationis exemplum est apud Athen. X. p. 438. A. Quae quidem parodiae simillima ipsi tamen parodiae praecessit. Jam vero fieri non potuit, quin, si forte verba ista mutuo sumta non satis quadrarent ad rerum, quae modo agerentur, conditionem, vel paulum mutata adhiberet ingenio quisque acerrimus. Hoc autem si fecit, parodiae jecit fundamenta. Παρῳδή enim sive παρῳδία [1]) (ut

1) Utramque formam esse justam docuit Schweighaeus. ad Athen. XV. p. 698. A.

omittam propriam vocis significationem) ex scriptorum usu notat id scribendi genus, quod mutatis magis minusve alius scriptoris verbis aliam tribuit sententiam, atque quam ille inesse in iis voluit [1]).

Haec si erat origo parodiarum in universum, ut poeseos genus latissime patens inde evaderet, alia quaedam res debuit accedere. Commune fere hominum cum sit studium gravissima quaeque detrahendi irridendique: ex ea lege, qua extrema quaeque proxime se attingunt, dicta quaeque amplissime et magnificentissime maximam praebent irrisionis opportunitatem. Jam si quis magnificis alius scriptoris verbis gravem sententiam exprimentibus mutationis artificio tribuit significationem vilem atque vulgarem (id quod fit plerumque in parodia): maxima hujus rei comica vis est. Quae cum saepe contineatur in rerum inter

1) Quint. VI. 3. 97. »seu verbis ex parte mutatis, seu ficti notis versibus similes, quae παρῳδία dicitur.« Ita statuunt etiam Casaub. Poes. Sat. p. 207. Ramb. Schweigh. ad Athen. XV. p. 699. B. Fabric. B. Gr. I. p. 550. Herm. ad Aristot. Poet. II. 5. — De origine parodiae aliter sentiunt: Scalig. Poet. I. c. 42. Sallier. Discours etc. p. 402. Ramb. ad Casaub. p. 207. Flögel. I. p. 356 et 361. Hi enim statuunt, parodiam e rhapsodia natam esse; rhapsodos finita Homeri recitatione lusus gratia prodiisse, qui ad animi remissionem omnia illa priora invertorent. At neque ullum testimonium est apud veteres scriptores, quod post recitata gravia Homeri carmina parodias esse compositas confirmet, nec, si esset, quidquam inde lucraremur. Ab hac enim re ut certandi parodiis mos originem ducere potuit, ita minime omnino parodiae, quippe quas dudum exstitisse oporteat, priusquam hic mos potuit oriri.

se pugnantium compositione: earum parodiarum, quae quidem spectant ridiculum, vis nititur in discrimine, quod intercedit inter verborum sublimitatem exilitatemque sententiarum.

Plerasque Graecorum parodias ad Homerum potissimum esse compositas, non est, quod mireris. Homero enim cum nec pluris facerent Graeci quemquam, neque utiliorem esse putarent ad inflammandos honestatis ac dignitatis amore animos: carmina ejus mandaverunt memoriae plerique inde a pueritia. Sed accessit aliud efficiens, ut vel integris carminibus parodice componendis materiem praeberet Homerus. Quod ut explicem, in parodiae naturam paulo altius est inquirendum. Ut enim justa parodia exsistat, necesse est, ut ei quoque, qui parodiam legat vel audiat, in mentem revocetur is alius scriptoris locus, ad quem referendum haec ipsa parodia composita sit. Hoc si non est, non parodia videtur esse, sed carmen recens compositum [1]). Ita cum Homero facilius nemo Graecis in mentem revocari posset: factum est, ut largam is suppeditaret materiem, unde et componerent parodias ipsi, et compositas ab aliis sentirent.

At quaerat quispiam, quomodo factum sit, ut, quum plurimi aestimaverint Graeci Homerum, eundem parodiis insectati sint. Referebant autem ejus versus parodice, non quidem ut irriderent eum vel contemnerent poetam clarissimum, sed venustatis vel eruditionis laudem hoc ex studio captantes, ut qui

1) Haec praecipua causa videtur esse, quod nulla fere exstitit parodia longius producta, quae solutam orationem referat. Quae cum legentium animis non inhaereret, ne potuit quidem apte reddi parodice.

maximum risum excitari intelligerent, si Homeri versibus ampla dignitate eminentibus ad jocosas res exprimendas uterentur. cf. Ramb. ad Casaub. Po. Sat. p. 208. Flögel. I. p. 362. Hoc unum genus est parodiarum. Quod tantum abest ut invideat virtutibus et famae ejus libri, cujus versus reddat, ut placuisse omnibus eum tacite demonstrans vel famae ejus studeat quam maxime. Certe Homerus reviviscens si Matronem videre posset utentem ad describendam opiparam Atheniensium coenam versibus iis, quibus ipse Graecorum Trojanorumque proelia depinxerat atrocissima: profecto non posset non impune dimittere furem tanta calliditate alienis utentem. Hoc parodiarum genus ut ab invidia alienum est, ita sunt aliae ipsius obtrectationis gratia compositae. Huc pertinent pleraeque Aristophanis parodiae, quibus Euripidis aliorumque poetarum tragicorum versus imitans docere voluerit, quid parum recte dixisse in iis videantur. Atque ex his cum sint, quae poetarum irrisorum vehementissimam iram excitaverint: irrisoriae non inepte dici videntur hujusmodi parodiae. Contra quae ad prius genus pertinent, eas nominaverim ludicras [1]). Homericae autem parodiae, quotquot fere servatae sunt, ludicrarum generi sunt adnumerandae. Nec mirum. Omnibus enim numeris quum plerique absoluta esse ejus carmina putarent: quod vituperarent,

1) Nil proficitur Flögelii I. p. 349. sententia, parodias propter argumentum et consilium, quod sequantur, in septem genera dispensantis. Nam et genera constituit parodiarum, quorum exempla graeca habemus nulla, et sunt parodiae non paucae, quas uni ex istius generibus non minus recte adscribas, quam alteri.

non habuerunt. Ne Xenophanes quidem, de quo postea dicam, quamvis acriter impugnans sententias Homeri de diis eorumque natura, ut Homeri verba vituperaret, parodias composuit. Jam judicare licet de eo, quod Scalig. Poet. I. c. 42. dicit: »Parodia est rhapsodia inversa mutatis vocibus ad ridicula sensum retrahens.« Haec definitio parodiarum genus respicit unum, omittit alterum. —

Erant apud Graecos parodiae non modo epicae, quae Homerum imitarentur, sed etiam lyricae, tragicae, de quibus supra dixi, elegiacae, adeo quae referrent epigrammata, cf. Stephan. Hom. et Hes. Cert. p. 85 et 91. Parod. mor. p. 140 sq. Sed Homericae ut patuerunt latissime, ita ab antiquissimis inde temporibus pro Homeri aetate componi coeptae sunt [1]). Quae cum ita sint, apparet, quid statuendum sit de Suidae παρῳδίαν definiendi ratione: παρῳδία· οὕτω λέγεται ὅταν ἐκ τραγῳδίας μετενεχϑῇ λόγος εἰς κωμῳδίαν. Unum modo parodiarum genus notavit, cetera etiam graviora omisit. Eodem modo lapsus est Hesych. παρῳδοῦντες interpretans per παρατραγῳδοῦντες. —

Singularis quaedam parodiarum natura est ea, ut non possimus animadvertere gradus, quibus inde a principiis sensim exculta ad summum perfectionis vestigium pervenerit. Ut Homerus primus poeseos epicae auctor summum idem ejus exemplar exhibuit: ita parodias qui invenit postremo parodo non deteriores composuit. Quod tamen non ita dictum velim, ut non alium parodiarum scriptorem alio insigniores edi-

1) Homericas parodias antiquiores esse, quam κιϑαρῳδικάς, ipse testatur Aristox. apud Athen. XIV. p. 638. B.

disse parodias censeam; nam Matroni principatum hoc in genere deberi infra apparebit. Sed praestantiae ejus causa sita est non tam in eo, quod multi ante ipsum componendis parodiis operam dederunt, quam in virtutibus ipsius ingenii. Nec difficile est, hujus rei causam invenire. Nam cum omnibus esset certum quoddam exemplar, ad quod respicerent, non potuit suum quisque orationis genus proprium efficere, sed tantum in alienis verbis apte mutandis cernitur parodorum ingenium atque facultas. Materies autem pangendarum parodiarum (versus Homericos dico) eadem erat et ei, qui primus Homericam, et ei, qui novissimus composuit parodiam. — Deinde ne id quidem fugere nos potest, parodias nequaquam posse aliam in linguam verti, nisi putidam ac languidam orationem reddere velis. —

Sunt autem duo poeseos genera, quae parodiae quidem similia satis tamen ab ea distant. Parodia enim ut aliena verba mutata in aliam sententiam detorquet: ita centonis hoc ipsum est proprium, ut versus hinc inde ex alio scriptore sumti, ne minimum quidem mutati, sed tantummodo aliter dispositi efficiant sententiam aliam, atque is voluit, qui eos composuit. cf. Scalig. Poet. I. 43. Flögel. I. p. 355. At rectissime Stephan. Par. mor. p. 130 et 136. observavit, nonnunquam et in centonibus parodiae et in parodiis centonis libertatem usurpari [1]). Ut enim difficile fuit centonem componenti versus invenire, qui-

1) Quo referendum est etiam id, quod Eustath. p. 1665. v. 33. ed. Rom. Matronis fragmentum, quod est apud Athen. XV. p. 697. F. sic laudat: *Μάτρων κέντρωνος λόγῳ συμφορήσας* etc.

bus ἀπαραποιήτοῖς sententiam diversam tribueret: ita parodiarum scriptor summum saepe risum movit, verba nihil mutata referens ad aliam rem. Ex hoc genere sunt Matronis versus 62 sq. apud Athen. IV. p. 135. F. — Aliud discrimen parodiam inter et travestiam, quae dicitur, intercedit. Servatis enim alius poetae sententiis, saltem primariis, dicendi ratio gravis et ampla mutatur in vilem vulgaremque; at parodus hoc ipsum spectat, ut aliena verba magnifica servet ipse, quantum fieri possit. Similiter rem expedivit Eichstaedt. de dram. Gr. com.-sat. p. 50.

Restat, ut dicam de aetate, quo parodiarum componendarum studium maxime apud Graecos floruerit. Quod tum demum fuit, cum poesin Graecam quasi senescentem propria proferendi facultas deficeret. Attamen cum ne ante quidem Alexandrinorum tempora deessent Homericae parodiae: ab his initium capessendum est. Sed ne amplis quidem finibus circumscripta est aetas earum ferax. Postquam enim literis intra Musei parietes inclusis non amplius fuerunt, qui Homerum memoria tenentes, parodias ad eum compositas sentirent: earum studium desiisse videtur. Ita factum est, ut secundi Ptolemai tempore viveret extremus eorum, quos Homerum parodia referentes famam nactos esse scirem.

CAPUT II.

HIPPONAX PARODIAE INVENTOR.

De inventore parodicae poeseos cum fluctuent, ut in ejusmodi rebus fieri solet, sententiae veterum scri-

ptorum: recentiores VV. DD. rem etiam altius, quam illi repetere conati sunt. Exstiterunt enim, qui Homerum ipsum parodiae primum exemplum praebuisse dicerent [1]), ex ea scilicet sententia, quae cujuslibet poetici generis posteriore tempore exculti ipsum Homerum contendat esse auctorem. Eum igitur ajunt tanquam suos ipsum versus parodia imitantem in re dissimili nobis paene similes exhibere. Cujus rei talia exempla afferunt, ut Od. III. 271., cui versui simillimus est Il. XVII. 151. Sed tantum abfuit, ut poeta alterum versum pronuntians haberet in mente, se iisdem paene verbis jam alio loco usum esse ad exprimendam aliam sententiam (necesse enim est, ut qui parodiam componit, certum alium locum in mente habeat, cf. supra p. 7.), ut ejusmodi versus in eorum numerum referendi essent, quos saepe repetitos apud Homerum inveniri pro carminum natura nemo miratur. Ne tum quidem parodiae nomen his versibus tribuendum esse censerem, si demonstraretur alter non ab Homero, sed a rhapsodo insertus esse. Missa igitur hac sententia, quae Homerum suos ipsum versus parodia imitatum esse contendat, ad veteres scriptores recurrendum est. Atque Polemo [2]) apud Athen.

1) Stephan. Hom. et Hes. Cert. p. 74. Parod. mor. p. 131. Stephanum sequitur etiam Moser. l. l. p. 278., quamquam longe antea eum refellerat Sallier. Discours p. 402.

2) Magnopere dolendum est, Polemonis opus ad Timaeum *περὶ τῶν τὰς παρῳδίας γεγραφότων* non servatum esse, cujus librum duodecimum laudat Athen. Non dubium est, quin Polemo sit is, qui alias nominatur Periegetes, vivens circa 200 a. Chr. De Polemone Stoico cogitare vetat vel temporum ratio, cum eodem Ath. teste Polemo laudaverit epigramma Alexandri Aetoli.

XV. p. 698. B. haec habet: εὑρετὴν τοῦ γένους (παρῳδιῶν) Ἱππώνακτα φατέον τὸν ἰαμβοποιόν. Contra Aristot. Poet. II. 5. hujus inventi gloriam vindicat Hegemoni Thasio. Sed de hac re quid statuendum sit, facile intelligitur, si quo uterque vixerit tempore respicimus. Hipponax enim floruit circa Ol. 60. cf. Marm. Par. Ep. 43. Hegemonem vero belli Peloponnesiaci tempore vixisse ostendit Athen. IX. p. 407. Ita cum appareat, de inventae parodiae gloria certare non posse Hegemonem cum Hipponacte: quatenus tamen vere dixerit Aristot., postea explicare conabor. Tertius denique accedit, qui de inventae parodiae palma in arenam descendere videatur, Hippys Rheginus. Huic enim Suid. s. v. Ἵππυς et Eudoc. p. 245. parodiae inventionem tribuunt. Quos sequuntur Lil. Gyrald. de Poett. hist. Op. II. p. 488. Fabric. I. p. 550. Flögel. I. p. 363. At hunc laudis Hipponacteae aemulum conjectura quidem, sed certa ea, si qua alia, sustulerunt Küster. ad Suid. l. l. et Welcker. in libro, qui inscribitur: »Hippon. et Anan. Jambogr. fragm. coll. Welcker.« Gotting. 1817, ita ut jam ipsius Suidae auctoritas pro Hipponacte contendere videatur.

Neque tamen Polemoni parodiarum inventionem transferenti ad Hipponacta ita fides habenda est, ut neminem unquam ante ipsum lusisse parodiis existimemus; sed non habemus, qui Hipponacte antiquior composuerit parodias. Apud Graecos autem Romanosque novi scribendi generis inventio tribuebatur ei, qui primus quamvis pridem natum ad certas artis regulas revocaret [1]). Quod de parodiis praesertim di-

1) Eadem de causa Lucilius apud Hor. I. 10, 48. dicitur satirae inventor, cf. Heind. ad h. l.

ctum velim. Nec scimus enim, quis primus eas composuerit, et scire nos non posse docent ea, quae supra de earum origine disputavi.

De Hipponactis vita et scriptis egit Welcker. libro, quem laudavi. Parodiarum ejus, quas consentaneum est me respicere solas, fragmentum unum restat apud Athen. XV. p. 698. B. cf. Welcker. p. 79. Hoc si Polemo apud Athen. l. l. sumtum esse dicit ex Hipponactis hexametris, videtur discrimen fecisse inter parodias, ut consentaneum est, heroico metro compositas et carmina Hipponactis iambica. Neque enim praeter hoc exstat fragmentum hexametricum. De natura vero et indole parodiarum ex minutissimo fragmento vix poterit quidquam colligi. Haec tantum perspiciuntur, et fragmentum, quod servatum est, fuisse in initio carminis positum, et omnino hoc in poemate versibus maximam partem Homericis irrisum esse heluonem quendam nomine Eurymedontis praeditum, vel filium Eurymedontis (fluctuat enim lectio), quomodo diem obierit supremum. Quod quamquam dictione potissimum Homerica factum est, non tamen continuit se poeta a verbis sibimet ipsi et quidem satis audacter et ridicule fictis et inter se compositis. Itaque in hoc quoque carmine moribus suis constans perstrinxit Hipponax non quidem Homerum, sed Homero usus heluonem voracitatis poenas dantem. Ac profecto considerantes, quantopere distet Homericorum versuum sublimitas a vili rerum, quas exprimunt, humilitate, non possumus non dolere perditum nobis esse poema, prodens illud quidem Hipponacta, qui alias tanquam acerbissimus mordacissimusque non sine justa causa notetur, eundem valuisse hilaritate ingeniique festivitate.

CAPUT III.

XENOPHANES COLOPHONIUS SILLOGRAPHUS.

Hipponacta proxime attingit aetate Xenophanes Colophonius, physicus philosophus [1]). Cujus scripta (philosophiam enim hic omitto) recensens Diog. La. IX. 2, 18. haec habet: γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα. Quorum verborum interpretatio simplicissima haec est: scripsit et epica carmina, et elegias, et iambos adversus Homerum Hesiodumque perstringens ea, quae de diis dixerunt. Ita Homeri Hesiodique irrisio non nisi ad iambos pertinet. Quod ut ex horum verborum constructione certe demonstrari non possit, confirmatur tamen et fragmentis, et iis, quae aliunde de Xenophane comperta habemus. Neque emendationibus opus videtur. Primum ἔπη, carmina heroica, Xenophanis notissima sunt: Κτίσις Κολοφῶνος, ἀποικισμὸς εἰς Ἐλέαν τῆς Ἰταλίας (Diog. La. l. l.) περὶ φύσεως [2]). Deinde elegiarum Xenophanis fragmenta

---

1) Diog. La. IX. 2, 20: ἤκμαζε κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. Maxime longaevus fuit, cf. ipsius fragm. apud Diog. l. l. Censor. de d. n. 15. Quae de anno ejus natali disputata sunt apud Fabric. II. p. 613 sq., ea nihil ad me pertinent, cum floruisse eum, quo dixi tempore certum sit.

2) Cujus fragmenta collegit Fülleborn. Beiträge zur Gesch. der Philos. VII. — Nescio, utrum fragmentum Xenoph., quod habent schol. Vill. ad Hom. Il. XI. 27. et Eustath. p. 827, 60. περὶ τῆς Ἴριδος ἐν ἡρωικοῖς ἔπεσι, pertinuerit

servata sunt et magna et pulcra apud Athen. IX. 368. E. X. 413. F. et aliis locis; sed non irrident Homerum atque Hesiodum. Sequuntur iambi, quales Xenophani a nemine praeterea tribuuntur. Sed omisit Diog. aliud Xenophaneorum scriptorum genus, sillos memoratos ab auctoribus non minus gravibus. Quos utrum composuerit necne, multum jam disputatum est, cf. Fabric. II. p. 616 sqq. Sillos Xenophanis laudant: Strabo XIV. 1. p. 643. B. Casaub. (III. p. 179. Tauchn.) schol. Villois. ad Hom. Il. II. 212. Eustath. p. 204. 21. ed. Rom. schol. ad Aristoph. Eq. 406 (ubi Ξενοφάνης pro Ξενοφάντης legendum esse alii jam monuerunt, cf. Dind. ad schol.) Eudoc. p. 87; alios affert Casaub. de Sat. Po. p. 224 [1]). —

Fabric. quidem II. p. 617. sillos a Xenophane compositos esse negans, ubi citentur, Timonianos contendit esse intelligendos. Sed sententiam argumentis non fulsit. Mihi quidem contra tot auctorum consensum movere aliquid temerarium videtur. At de sillorum Xenophanis argumento cum altum apud veteres scriptores sit silentium, nec colligere quidquam possimus ex uno fragmento eoque minutissimo apud schol. Arist. l. l.: conjectura ea res videtur esse expedienda. Primum vero moneo, sillorum propriam esse irrisionem et reprehensionem, cf. infra. Jam cum nec praeter Diog. La. quisquam laudet Xenophanis iambos, neque ipse Diog. Xenophanis scripta recensens facile praetermiserit sillos (quippe quos

---

ad carmen de rerum natura, an ad integrum de Iride opus. —

1) Conjectura sillos Xenophanis restituit Dindorf. apud Herod. περὶ μον. λέξ. p. 7, 11.

insignes fuisse, et dicat Eustath. p. 204, 21, et colligi possit ex Strabone, qui Xenophanem significaturus praeter epitheton τοῦ φυσικοῦ addat ὁ τοὺς σίλλους ποιήσας): facile est ad conjectandum, in iambis apud Diog. latere sillos, propter mordacem indolem aptissime dictos ἰάμβους. Deinde carmen iambicum, quod Diog. dicit illusisse Homero atque Hesiodo, perscriptum fuisse metro non iambico, sed heroico [1]), perspicitur ex ejus fragmento apud Sext. Emp. adv. Math. IX. p. 593. Fabric. ἔνθεν καὶ Ξενοφάνης διελέγχων τοὺς περὶ Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον φησὶ,

πάντα θεοῖς ἀνέθηκεν Ὅμηρος θ' Ἡσίοδός τε,
ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ,
κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Heroicum vero metrum fuit etiam Timonianorum sillorum. Denique dogmatum mythologicorum irrisionem cadere quam maxime in sillos, demonstrant ejusdem Timonis silli, dogmata philosophorum illi quidem irridentes [2]). Sed accedit etiam hoc, quod si

---

1) Jambi (a voce ἰάπτειν) significant quodvis carmen irrisorium, sive quod nos dicimus, satiricum, metri respectu habito nullo; unde factum est, ut ἰαμβίζειν in universum significet conviciari. Ita apud Arist. Rhet. III. 17. ed. Buhle laudantur Archilochi trochaei ita: ὡς ὁ Ἀρχίλοχος ψέγει ἐν τῷ ἰάμβῳ. Quod Liebel. p. 102. suspicatur, memoria lapsum esse Aristotelem, id patet quam careat veri specie. Apud Athen. X. p. 445. B. citantur Asopodori Phliasii οἱ καταλογάδην ἴαμβοι; unde perspicitur, vel prosae orationis scriptum ita nominari, modo argumentum ejus sit irrisorium.

2) Cf. infra. De sillorum notione infra agam, quoniam ex fragmentorum Timonis multitudine commodius eorum imago adumbratur.

alium sillorum librum intelligeres, de argumento ejus nihil apud veteres traditum esse jure mirareris. Ita non immerito statuere videor, ipsis sillis Xenophanem irridere Homerum Hesiodumque [1]) et eosdem esse, quos Diog. La. dicit ἰάμβους.

Quanta acerbitate Xenophanes utrumque poetam impugnaverit, satis perspicitur ex fragmentis apud Sext. Emp., tum eo, quod supra laudavi, tumeo, quod est apud eundem adv. Gramm. I. 280; cf. Fabric. I. p. 562. Neque irrita ab eo jacta esse tela Timon certe judicavit, ut qui vocaret eum Ὁμηραπάτης ἐπικόπτην, fraudis Homericae rescissorem, cf. Diog. La. IX. 2, 18. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I. p. 58. De externa sillorum compositione nihil fere scimus. Parodias autem Homeri Hesiodique iis immixtas fuisse docent fragmenta, cum quae modo laudavi, tum id, quod est apud schol. Aristoph. Eq. 406. Neque haec negaveris poetas epicos referre, modo ne ludicram et jocosam omnium parodiarum fuisse rationem existimes. Xenophanis parodiae irrisoriarum generi, quod supra posui, adnumerandae sunt, quamquam vel hae Homeri non tam verba, quam sententias vituperaverunt. Fuisse vero parodias sillorum proprias, vel Timonianorum sillorum comparatio docet [2]).

Paul. de sillis Gr. p. 15—21. praecepta, ut videtur, opinione studuit demonstrare, sillos Xenophanis integrum carmen non fuisse, sed hic illic cetera

1) Ita statuunt etiam Casaub. Poes. Sat. p. 223. et Paul. de Sillis Graec. Berol. 1821. p. 15 sq.

2) Sillos parodiis ut plurimum refertos fuisse, monent etiam Menag. ad Diog. La. IX. 2, 18. Paul. l. l. p. 35. Schöll. Hist. lit. Gr. II. p. 105.

per scripta objurgationes Homeri Hesiodique fuisse sparsas. Eadem sententia invenitur apud Fabric. II. p. 617; sed quod dixit hic, partes operis tanquam peculiaria opera saepe excitari: id fit nomine tantum singulari, non eo, quod totum genus significet. Nemo unquam Homeri versus Il. II. 212. laudavit: Ὅμηρος ἐν σίλλῳ, quamquam inde ab Alexandrinorum tempore non defuerunt, qui Homerum isto loco σιλλαίνειν contenderent. Deinde in Xenophanis aetatem ea, quam volunt, diversarum rerum in unum carmen coagmentatio minime cadit. Ita Xenophaneos sillos tot a scriptoribus laudatos integrum opus effecisse arbitror. Quamquam definire non audeo, utrum silli continua oratione usi sint, an pluribus carminibus constiterint conjunctis vinculo nullo, nisi quod eandem rem tractaverint. Saltem quos Dind. ad schol. Arist. Eq. 406. effecit quatuor sillorum libros, nimium ii infirmis talis nituntur. Paul. igitur omnes fere, quos p. 16. laudavi locos pressit ac torsit, ut sententiam suam iis fulciret. Risum paene movet, quod p. 20. contendit, non posse eos, quos Eustath. παλαιούς vocat, quique interpretando Homero summam operam navaverint, eosdem famam sillorum Xenophanis praedicare (ἐν οἷς εὐδοκίμηκεν Eustath.). Nec majorem speciem habet ratio, qua tum huic loco, tum ceteris mederi conatur, ut μέμνηται Ξενοφάνης ἐν σίλλοις minus plane dictum esse contendat pro: μέμνηται Ξενοφάνης ἐν Τίμωνος σίλλοις. Is error non cadit saltem in schol. Hom. Villois. (quamquam vel hujus auctoritatem negligere videtur p. 20.). Adeo autem fervet studio sillorum opus tollendi, ut p. 19. dicat, schol. Arist. non respicere sillos (hos diserte

nominat schol.), sed versus ob argumentum amarum sillis similes. Nec potuit tanto ardori non succedere, ut vel Diog. La. verba, quae supra p. 15. laudavi, ex sua sententia explicaret. Quae ita interpretatus est: »scripsit inter poemata tum elegias tum iambos.« Sed ἔπη non significant in universum poemata, sed heroica modo carmina; quae ut recte possint amplecti ἰάμβους (carmina irrisoria): tamen ἐλεγεῖαι ἐν ἔπεσι nequaquam recte possunt dici. Nam cum ἔπη significent heroicum metrum, ἐλεγεῖαι elegiacum: apparet idem carmen non posse esse ἐλεγείαν, et recenseri inter ἔπη [1]). Restat Strabonis locus, Ξενοφάνης ὁ τοὺς σίλλους ποιήσας διὰ ποιημάτων, quem Paul. p. 18. interpretatur: »qui sillos fecit per collectionem carminum sparsos.« At ne potest quidem ita explicari. Debebat enim articulus adjectus esse ad ποιημάτων. Simplicissima Strabonis interpretatio haec videtur esse: »qui sillos fecit versibus inclusos«, ut Diog. La. IX. 3, 22. φιλοσοφεῖ διὰ ποιημάτων. Ita vel Casaub. »qui sillos mordax poema scripsit.« Neque hoc languet, uti Paul. opinatur. Erat enim, quod Strabo populares doceret, sillos posteriore tempore non ita multis compositos, legibus metricis adstrictos fuisse. Imo solutae orationis operibus irrisoriis postea sillorum nomen inditum esse, colligi potest ex Ammian. Marc. XXII. 16., de quo loco disputat Paul. p. 22. [2]).

1) Passow. quidem s. v. ἐλεγεῖον contendens epigrammata, ut quae plerumque distichis composita sint, ἐλεγεῖα dici, quamvis sint hexametrica, affert Demosth. c. Neaer. p. 1378. Sed ibi justum distichon est, quod ἐλεγεῖον vocatur. Exempla igitur hujus rei desidero.

2) Possis fortasse Strabonis locum vel ita explicare: »qui

Denique servatum est Xenophaneae parodiae fragmentum apud Athen. II. p. 54. E, cujus partem laudat etiam Eustath. p. 948, 40. Hoc Harles. ad Fabric. II. p. 617. suspicatur sillorum fuisse particulam. Sed in eo cum nihil sit, nisi quomodo hiemis tempore quispiam igni adjacens corpus cibo potuque curet: vix potuit pertinere ad id carmen, quo Homeri Hesiodique narrationes de diis vituperasse dicitur Xenophanes; sed ex carmine quodam petitum videtur, quod quid sibi voluerit nescimus.

CAPUT IV.

BATRACHOMYOMACHIA HOMERO ADSCRIPTA.

Batrachomyomachiam in parodiarum Homericarum numero esse habendam neminem fugere potest, qui ab Homeri lectione recens non occupata opinione eam legerit. Quibus enim verbis apud Homerum describuntur heroes de Troja aut capienda aut defendenda certantes: iisdem paulum mutatis usus est Batrachomyomachiae auctor ad depingenda arma, proelia, occasus denique — murium. Quod carmen qui Homerica aetate non indignum esse judicaverunt (cf. Fabric. I. p. 335.), ii non cogitarunt, opinor, in idem

---

sillos fecit carmine heroico.» Ut enim Homerus saepe ὁ ποιητής, ita ποιήματα videntur certe hexametros potissimum significare, cf. Dion. Hal. de comp. verb. III. 19. XVIII. 152. Schaef. Diog. La. IX. 3, 22. διὰ ποιημάτων φιλοσοφεῖ, καθάπερ Ἡσίοδός τε καὶ Ξενοφάνης etc.

tempus non cadere heroum rerumque iis gestarum et praedicationem, qualis est apud Homerum, et irrisionem, qualem apparet esse in Batrachomyomachia. Quare ut nostro quidem tempore nemo fere est, qui hoc carmen Homero tribuat: ita jam plerique non dubitant, secuti auctoritates, ut videntur, non contemnendas, adscribere Pigreti, circa belli Persici tempora viventi 1). Suidas quidem tradit, fuisse eum fratrem Artemisiae minoris, quae Mausolo marito mortuo accepit regnum Cariae circa Ol. 106. Sed in ejus gente cum non inveniatur Pigres 2): statuendum est, Suidam falsum esse, et quod Plut. dicit Πίγρης ὁ 'Αρτεμισίας, id ad majorem Artemisiam esse referendum, de qua multa verba fecit Herod. VII. 99. VIII. 87. Ita ad Plut. verba: ὁ 'Αρτεμισίας sive υἱός intelligis, sive ἀδελφός, sive ἀνήρ: utique circum bella Persica vixisse Pigreta apparet. Nam quod Hutten. ad Plut. vult, intellecta ad: ὁ 'Αρτεμισίας voce πολίτης, Pigreta facere civem Artemisiae, id omni caret veri specie et analogia.

Sed ex Plut. loco diligentius perpenso colligi possunt, quae a nemine adhuc inde collecta esse non possum non mirari. Collatis enim Herodoti locis, ad quos Plut. respexit, verba ejus, ut sunt in codicibus, ita interpretanda videntur. Plut. vituperavit Herodotum, quod pugnam Plataeensem commissam esse dixisset a Lacedaemoniis, ceteris Graecis, qui in fugam se dedissent, nescientibus. Loci Herod., ad quos re-

---

1) Plutarch. de mal. Her. 43. Suid. Πίγρης — ἔγραψεν εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένην Βατραχομυομαχίαν. Quem secuta est Eudoc. p. 358.

2) Cf. Clinton. Fast. Hell. p. 299. ed. Krüger.

spexit, sunt IX. 52. cf. 60 et 69. Jam ut ludibrio haberet Herodotum (id quod hoc quidem libro spectavit Plut.), comparavit ejus descriptionem pugnae cum simili facto, quod esset in Pigretis Batrachomyomachia. Hujus autem comparationis tertium, quod dicunt, non possum aliud intelligere nisi: pugnae alicujus commissae ab aliis, aliorum inscientiam. Plut. enim verba: *ὥσπερ βατραχομυομαχίας — ἵνα λάθωσι τοὺς ἄλλους* ad *τοὺς Ἕλληνας* referri non possunt, quoniam ii pugnae non fuerant participes, sed pertinent ad eos, qui in Pigretis carmine partes egerunt (*βατράχους* et *μύας* ex voce *βατραχομυομαχία* eliciendos). Inde hoc elucet, quod opponuntur inter se *Ἕλληνες* et *Λακεδαιμόνιοι*, uti ex sequentibus intelligitur. Ubi Plut. repetens ea, quae supra dixerat, scripsit *εἰ Λακεδαιμόνιοι μὲν — ἐμάχοντο, τοὺς δ' ἄλλους ἡ μάχη ἔλαθεν* [1]). At talis pugnae commissae inscientia, qualem fuisse in Pigretis opere demonstrat Plut., in ea Batrachomyomachia, quam nos habemus, est prorsus nulla. Itaque patet, carminis formam saltem, quae nobis servata est, non posse repeti a Pigrete auctore [2]). Ex qua re quid amplius sequatur, jam videndum est. Num Pigres novum carmen confecit, an alienum poema interpolavit, quemadmodum in Iliade fecisse eum testatur Suidas? At hic ipse diserte dicit: *ἔγραψε Βατραχομυομαχίαν.* Nec potuit

---

1) Hoc si ita est, apparet, quod ex conjectura a Huttenio insertum est *ἦν*, id esse ejiciendum; nam *διαγωνίσασθαι* pendet a voce *ἔγραψεν.*

2) Plures Batrachomyomachias propter naturam textus, quem habemus, fuisse contendit etiam Hermann. in Epist. ad Ilgenium hymnorum editioni praemissa p. XI.

Pigretis Batrachomyomachia paucis modo versibus distare a nostra, quoniam in ea et explicari debebat, quomodo factum esset, ut altera exercitus pars ignara fuisset pugnae ab altera cum hostibus commissae, et vero etiam indicatum, quid inde utrique exercitus parti redundavisset.

Ita si demonstrare studui, nostram Batrachomyomachiam Pigretis non esse: quo tamen tempore nostra carminis forma nata sit, nescire me fateor. Quod R. Payne-Knight. Prol. ad Hom. p. 6. ed. Lips. ex memorato galli gallinacei cantu (v. 291.) collegit, non ante sextum a. Chr. saeculum natum esse carmen (eo tempore hanc avem ex India in Graeciam esse apportatam): inde, licet fide dignum sit, non magnum lucrum capitur. Idem Britannus propter memoratas v. 3. δέλτους negavit, carminis auctorem fuisse ex Asia oriundum, quoniam ibi teste Herod. V. 58. pellibus usi essent ad scribendum. Sed Herod. dicit: ἐν σπάνι βίβλων ἐχρέωντο διφθέρῃσιν. Ex Psammetichi autem, Aegyptiorum regis, tempore cum σπάνις ista βίβλων cessaret: ne Jones quidem amplius usi sunt pellibus. Ante Psammetichi autem tempora, ipso Payne-Knightio judice, Batrachomyomachia non est composita. Itaque de auctoris patria certiores nos non fecit.

Nec scimus, quid sibi voluerit is, qui eam conscripsit. Quae nonnullorum est sententia, Graecorum bella cum Persis ludicro modo descripta esse ranarum muriumque pugna (quae sententia ex Plut. loco nata videtur): ei idem potissimum obstat, quod, quominus Homericae aetati hoc carmen tribuamus, prohibet: egregiam dico Graecorum existimationem rerum ut Troicarum antiquiore tempore, ita recentiore Persi-

carum. Welckerus in libro, qui inscribitur Nachtrag zu Schwenck etymol. - mythol. Andeutungen p. 333. de Batrachomyomachiae consilio haec conjecit: »Vielleicht ist die Batrachomyomachie mit eine Parodie gewesen auf die ohne Zweifel in den spätern epischen Gedichten bis zum Uebermaass ausgesponnene Namenpoesie.« Sunt sane hoc in carmine multa nomina ridicule formata, sed de hac re judicium, uti Welckerus ipse perdubitanter protulit, ita differendum videtur. Possit quispiam vel in eam sententiam incidere, ut ludicro modo descriptum esse in ea dicat certamen in civitate Graeca exortum inter nobiles, qui tanquam *γεώμόροι* non inepte mures possint dici, et plebem ranarum nomine notatam, quoniam democratia saepe navali re nisa sit. Sed cum poetae patriam nesciamus, longius progredi non licet. Et si quis, ne hac quidem sententia probata, contendat Batrachomyomachiam, ut plerasque Graecorum parodias, ludicri causa et ad ostantandam ingenii volubilem dexteritatem ex Homeri versibus esse consutam, non magnopere equidem contradixerim. —

CAPUT V.
HEGEMON THASIUS.

Sequitur is, quem invenisse apud Graecos parodicum poeseos genus, haud exigua tradidit auctoritas, Hegemon Thasius. Aristot. enim Poet. II. 5. dicit: Ἡγήμων ὁ τὰς παρῳδίας ποιήσας πρῶτος. Hoc autem non posse esse omnino vere dictum ab Aristotele, su-

pra monui, cf. p. 13. Hegemon enim floruit tempore belli Peloponnesiaci, itaque Hipponacte aliisque multo junior. At hoc dissidium Polemonem inter Aristotelemque facile componi potest, itemque explicari, quomodo factum sit, ut Aristoteles Hegemoni potissimum hanc palmam tribuerit. Athen. enim XV. p. 699. A. (cf. IX. p. 406.) tradidit, Hegemonem primum parodiis de scena recitatis certasse de praemio. Ita cum appareat, primi Hegemonis parodias fuisse in publicum editas: intelligitur, quo jure eum Arist. hujus generis inventorem potuerit nominare [1]). Hegemon Thaso insula oriundus [2]) non multum tamen temporis in patria versatus videtur, sed recitandis parodiis quaestum faciens apud exteros, potissimum Athenis vitam egisse. Huc spectat etiam fragmentum, quod, quantum ego sciam, unum ex ejus parodiis servatum est apud Athen. XV. p. 698. C. [3]). In quo exposuit, quomodo factum sit, ut, quum hortatu Thasiorum de frequente peregrinatione objurgantium domi manere constituisset, monente tamen ipsa Minerva canendi certamina denuo iniisset. Si quaeris autem, quid sibi velit ista narratio: videtur ea fuisse in praefatione operis parodici posita, qua iis, qui fortasse ventrem Hegemoneae artis magistrum dictitaverant, non invita se Minerva carmina componere indicaret. Neque obstat, quod Cham. Pont. apud Athen. IX. p. 406. E. eosdem versus dicat fuisse *ἔν τινι τῶν παρῳδιῶν*.

Inter Hegemonis parodias summum Atheniensium plausum tulit ea, quam *Γιγαντομαχίαν* appellavit [4]).

---

1) Similiter rem expedivit Flögel. I. p. 363.

2) Athen. XV. p. 698. C. 3) Cf. IX. p. 406. C.

4) Polemon apud Athen. XV. p. 699. E.

Quae cum recitaretur in theatro, ita delectati sunt Athenienses, ut plurimum eo die riderent. Inter ipsam vero recitationem, quum frequentes in theatro assiderent auditores et Athenienses et peregrini, factum est, ut primus nuntius afferretur de classe Atheniensi per Siculos perdita. Qua re quamvis essent afflicti, tamen non discesserunt ex theatro, ne, qui adessent socii, calamitatis magnitudine se oppressos esse sentirent [1]). Attamen Gigantomachia comoedia non fuit. Athen. enim XV. p. 699. A. Gigantomachiae ceterisque parodiis opponit disertis verbis comoediam ab eodem Hegemone conscriptam. Itaque ne istud quidem fragmentum, de quo supra disputavi, ad comoediam pertinuit. Deinde cum Athen. IX. p. 407. B. dicatur Hegemon, audito cladis Siculae nuntio, σιωπᾶν διεγνωκέναι: magis hoc cadit in carmen poetae ipsi recitatum, quam in fabulam ab histrionibus actam. Quae inter opera ejus erat convivii descriptio, teste Athen. I. p. 5. B.: ea num Matronis carmini parodico convivium describenti similiter fuerit composita, definire non audeo. Praeter parodias Hegemon composuit etiam comoediam Philinnes nomine inscriptam [2]), cujus fragmentum est apud Athen. III. p. 108. C. Quare factum est, ut nonnulli eum veteris comoediae poetis adnumerarent, Athen. I. 5. B.

Maxima fama parodias ejus celebratas esse potissimum Athenis, et dicunt Athenaeus [3]) Eustathiusque [4]),

---

1) Athen. IX. p. 407. Eustath. p. 1420, 36.

2) Cf. Athen. XV. p. 699. A. et Suid. s. v. Ἡγήμων correctus a Küstero. —

3) Athen. IX. p. 407. A.

4) Eustath. p. 1239, 29. p. 1420, 36.

et colligi potest ex narratiuncula ab Athen. tradita. Eo tempore, quo Atheniensium socii Athenis causas agere coacti erant, Hegemonem reum rapuit quidam Thaso Athenas. Ubi quum advenisset, cum caterva τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν adiit Alcibiadem, ab eoque causa exposita auxilium petiit. Is tanti viri misericordia captus pergit ad Magnae Matris templum, et Hegemonis nomen, quamvis iratis et magistratu et accusatore, delet ex reorum tabula [1]). — Ceterum accepisse se cognomen φακῆ (lens), ipse innuit Hegemon in fragmento, quod est apud Athen. XV. p. 699. A. [2]). Cujus cognominis causam quidem indagavit Eustath. p. 1239, 29. (cf. p. 1572, 55.) διὰ τὸ χαίρειν μάλιστα τῷ τοιῷδε ὀσπρίῳ, sed ita jejunam atque putidam, ut arridere nemini, nisi ipsi auctori possit. Veriorem tamen non ita facile est invenire [3]). —

1) Athen. IX. p. 407. B. Eustath. p. 1829, 41.

2) Cf. I. p. 5. B. IX. p. 406. E. XV. p. 698. C. Suidas s. v. Ἡγήμων.

3) Multis lusibus occasionem praebuit illa φακῆ. Cf. Athen. IV. p. 158 et 160. C. Adeo et τραγικὸν appellatur, et inter Stoicorum dogmata saepe irrisa fuit etiam hoc: Sapientem vel lentes scite esse paraturum. Cf. Athen. IV. p. 158. A. Suo jure igitur dici potest πολυθρύλητος IV. p. 159. F. Casaub. ad Athen. IV. p. 158. D. putat φακίνους appellatos esse a cibi hujus vilitate homines nihili et abjectos. Cf. Erasm. Adag. Chil. I. 623. At ne ita quidem perspicitur, quomodo ipsius lentis nomen apte possit homini adjici. Mihi quidem verisimillimum videtur, cognomen hoc spectare ad maculas subrubras sive nigras in cute nascentes, quas et Graeci dicunt φακοὺς (unde φάκοψις et φακώδης) et Latini lenticulas sive lentigines. Ad quas etiam Romanorum Lentuli possent referri, nisi Plin. H. N. XVIII. 3. contenderet, Fabios,

CAPUT VI.

PARODIAE VETERIS COMOEDIAE SCRIPTORIBUS COMPOSITAE.

Ad Homericos versus composuerunt parodias etiam ii, quorum comoedia prisca est. Inter Aristophanearum quidem parodiarum magnum agmen quamquam inveniuntur, quae Homerum referant [1]: tamen eas, cum majorem per carminis partem non pertendantur, ex proposito meo omitto. Eadem valent de Epicharmo et Cratino, quos in fabulis usos esse parodiis, at ἐπ' ὀλίγον modo, testatur Polemon apud Athen. XV. p. 698. C. Majus fragmentum parodicum servatum est Hermippi Atheniensis, quem et ipsum veteris comoediae poetis adscripserunt [2]. Aetas ejus certe definitur eo, quod, more poetarum veteris comoediae, Pericli inimicissimus Aspasiam accusavit impietatis [3]. Comoedias quidem composuit satis multas (Fabric. II. p. 449.), sed eas, quatenus non parodicas, hic non curo. Eundem parodias fecisse ad dramata ejus comica non pertinentes, intelliges ex Polemone, qui apud Athen. XV. p. 699. A. haec habet: πεποίηκε δὲ παρῳδίας καὶ Ἕρμιππος etc. [4]. Contra Epicharmi parodias fabulis insertas idem p. 698. C. memorat ita:

Lentulos, Cicerones nominatos esse, ut quisque aliquod optime genus sereret.

1) Velut Pac. 386. ad Il. I. 39.

2) Athen. XV. p. 699. A.

3) Plut. Pericl. 32.

4) Eustath. p. 728, 39. memorans verba ex Hermippei fragmenti v. 17. nominat eum παρῳδόν.

κέχρηται — ἔν τινι τῶν δραμάτων. At harum parodiarum, quantum scio, servata est nulla. Exstat tamen parodicum Hermippi fragmentum apud Athen. I. p. 27. E et F.; quod ex fabula φορμοφόροι petitum esse demonstrat Hesych. s. v. Διὸς βάλανοι. Quam fabulam ipse Athen. XV. p. 700. D. memorat. Persequitur autem in isto fragmento poeta implorato Musarum auxilio, quot et qualia bona undique navibus apportentur. Inter ea plurimae quidem et cupediae sunt, et res ad vitam necessariae. Sed inveniuntur etiam, quae minime iis, quibus afferuntur, accepta esse soleant. Haec autem non Athenas, sed ad hostes Lacedaemonios pervenire, asseverat Hermippus pro veteris comoediae indole. Idem de rebus ad gubernandam rempublicam spectantibus disputans dissuadet, ne societati cum Perdicca Macedone perfidiae pleno initae fidem habeant. Neque omittit, Corcyraeos exsecrari, quos belli Peloponnesiaci auctores in odio habent, quotquot sunt poetae comici veteres. In universum hoc fragmentum notatu dignissimum est, quippe in quo enumerentur, quibuscum Atheniensibus tum fuerit commercium, regiones pleraeque.

Compositio parodica plerumque quidem satis libera est, cum multae res commemorentur Homero ne notae quidem, interdum eadem maxime festiva. Ita amygdala vocat σιγαλόεντα. Quod adjectivum cum apud Homerum significet splendidum atque nitidum: Hermippus tamen respiciens ad verbum σιγάω, ita usurpavit de amygdalis, ut molle earum putamen sine strepitu frangi posse notaret [1]). Denique qua ra-

1) Hanc vocis ambiguitatem aperuit Eustath. p. 542, 23. Ceterum cf. Schweigh. ad Athen. I. 28. A.

tione hoc fragmentum ad φορμοφόρων fabulam pertinuerit, quaestio est difficillima, quum reliqua ejus fragmenta nec parodice sint composita, et minora, quam ex quibus colligere aliquid possis. Mihi quidem verisimillimum videtur, parabaseos hos versus fuisse particulam. —

CAPUT VII.

MATRON PITANAEUS.

Inter omnia parodicae poeseos exempla nobis servata Matronis descriptio convivii Attici cum versuum servatorum multitudine, tum ipsius compositionis festivitate et elegantia locum facile principem obtinet. De quo poeta cum nemo adhuc disputaverit, nisi obiter: initium disputationis capessendum videtur ab indagatione veri ejus nominis (nam ne id quidem satis apud omnes certum est); deinde agam de ejus aetate, tum de patria; quibus absolutis nonnulla de ratione carminis ab eo compositi subjiciam.

§. 1.

DE MATRONIS NOMINE.

Matronem nominans parodum eum, quem Eustath. p. 1053, 9. τὸν περίπυστον dicit, secutus sum plerorumque recentiorum, qui de eo egerunt, consuetudinem. Nam, ut alios omittam, Fabric. I. p. 550. dicit Matronem, itidemque Schöll. Groddeck. Alii autem cum aliter eundem vocarint, ut Macronem Moserus l. l. p. 293, Matream Athen. I. p. 5. A. secun-

dum editiones: jam dispiciendum est, quo id jure factum sit. Praeter Athenaeum ex antiquis scriptoribus, quot pervestigare potuerim, unus Eustath. clarissimi parodi mentionem fecit. Apud Athen. igitur septem locis constans optimorum codicum lectio est Μάτρων. Tantum I. p. 5. A. Athenaeus recensens eos, qui conviviorum composuerint descriptiones, affert: Ματρέας ὁ Πιταναῖος ὁ παρῳδός. Jam cum et Athen. ipse IV. p. 134. Μάτρωνος τοῦ παρῳδοῦ servaverit carmen, quo Atticum Xenoclis rhetoris convivium multo sale describitur, et apud Athen. atque Eustath.[1]) Μάτρων ὁ παρῳδός constans sit ejus nomen: jure videtur posse colligi, eundem hic esse Ματρέαν, plerumque qui Matron dicatur, intelligendum. Ita recte videtur Schweigh. fecisse, etiam apud Athen. I. p. 5. A. scribens Μάτρων, addens ille quidem: »Sitne vero a librario corruptum nomen, an utroque nomine perinde appellatus fuerit, haud definiam.« Mihi dubium non videtur esse, quin Ματρέας [2]) natum sit errore librarii parodum confundentis cum alio, de quo jam dicam. Qui h. l. Ματρέας retinendum esse censuerunt, ut Dindorf. in edit., ii nituntur alio Ath. loco I. p. 19. D. At qui ibi memoratur Matreas, praestigiator fallacissimus, eundem esse parodum nostrum, omni caret veri specie. Nam et Suid. s. v. et Eustath. p. 1382, 40. eandem, quam Athen. de ejus bellua semet ipsam devorante historiolam narrantes, et

1) Ut p. 261, 42. 310, 29. 1053, 9. 1382, 61. 1665, 33. 1700, 4.

2) Athen. verba a Suida lexico inserta sunt s. v. *Τιμαχίδας*, et ibi leguntur *Μαστρέας ὁ Πιταναῖος*. Sed hoc nomen verum monstrum.

ipsi Ματρέαν appellant. Praeterea cum fraudator iste sit Alexandrinus, parodus Pitana oriundus: vix commune quidquam intercedere potest inter utrumque. Itaque misso illo ad parodum revertamur. Qui si apud Eustath. p. 1094, 47 nominatur Μάντρων ὁ παρῳδός: id typographico errori tribuo. Jam non video, qua auctoritate nisus Moser. l. l. p. 293. et aliis locis scripserit Macronem, praesertim cum p. 269. idem eundem poetam nominaverit Matronem. Posses quidem conjicere, operarum peccato natum esse istud nomen, cum ipse Moser. in Progr. schol. Ulm. parum emendate expressum esse istum librum quereretur; sed non esse inde elucet, quod p. 293. sophistam Macronem eundem esse parodum conjecerit. — Accedit etiam Suidae auctoritas. Qui quamquam s. v. Μάτρωνος nihil amplius addat, nisi ὄνομα κύριον; tamen demonstrat, vere fuisse hoc nomen apud antiquos. Ita a vero aberrare mihi non videor, si **Matronem** nominandum esse parodum contendo.

§. 2.

DE TEMPORE, QUO VIXERIT MATRON.

Qui hucusque Matronis parodi mentionem fecerunt, ii omnes ignotum esse dixerunt, quo tempore vixisset. Quibus Moser. l. l. p. 293. conjecturam addit, sophistam Macronem, quem Athen. VIII. p. 342. D. Antiphanem Anaxilamque poetas secutus maxime ὀψοφάγον fuisse narret, eundem esse parodum, quippe quem et ipsum piscium comedendorum esse peritissimum doceat poema ab Athen. servatum. At isto Athen. loco cum Dindorf. ex melioribus codicibus dederit Μάτων: hanc conjecturam non stare apparet.

Id quidem facile intelligitur ex totius carminis ratione, postremo demum liberae Graeciae tempore vixisse parodiarum, quas habemus, auctorem. Accuratius autem ejus aetas definita neque apud Athen. neque apud Eustath. invenitur, ut qui Matronem parodum appellasse satis habuerint. Itaque periculum faciam definiendi ex ipsius carminibus poetae aetatem. Atqui apud hunc rarius inveniuntur, quae ad id faciant, quam apud alios, quoniam Matron usus plerumque Homeri versibus ad ipsius Maeonii vatis exemplum pauca tantum memoravit, quae ad ipsum suasque res pertinerent.

Athen. XV. p. 697. F. servavit fragmentum Matronis, quod totidem verbis legitur apud Eustath. p. 1665, 33. In quo fragmento inter alios poetas recenset Euboeum Parium (de quo cf. p. 41.), quem jam mortuum esse dicit. At Euboeum docet Athen. XV. p. 698. A. vixisse Philippi Macedonum regis temporibus. Qua ex re meo jure colligo, circa vel paulo post Philippi tempora vixisse et ipsum Matronem. In fragmento isto praeter Euboeum nominantur etiam alii poetae, Hermogenes, Cleonicus. Sed de his nihil compertum habeo. Suidas quidem in lex. retulit: Κλεονῖκος ὄνομα κύριον; sed non majus ea ex re lucrum capi potest, quam ex iis, quae Eustath. p. 1665, 34. habet. — In Matronis carmine apud Athen. IV. p. 134 sqq. v. 9. et 98. inter convivas versatur Chaerephon parasitus, memoratus ille quidem etiam ab aliis poetis. Etenim quam Matron perstringit importunam voracitatem, eadem carpitur ab Alexide pluribus locis apud Athen. IV. p. 164. F. sqq. Alexis autem cum vixerit circa 334 a. Chr. n., cf. Fabric. II. p.

406: aptissime quadrat hoc cum iis, quae de tempore Matronis erui ex memorato Euboeo. Jam vero eundem Chaerephontem parasitum in odio habuerunt etiam novae comoediae poetae, cf. Athen. VI. p. 243. Menander autem cum floruerit circa 325 a. Chr. (cf. Fabric. II. p. 455.); et eodem fere tempore reliqui: denuo ad eandem aetatem deferimur. Quamquam enim novae comoediae hoc ipsum esset, ut homines, qui viverent, personatos non irrideret: tamen Chaerephon, cum in istis fabulis non ipse egerit personam, sed obiter tantum sit commemoratus, quin aequalis fuerit istorum poetarum, nil impedit, opinor.

Accedit alia res, quae quamvis non ea sit, ex qua certum argumentum petere liceat, et ipsa tamen conferre videtur ad definiendam Matronis aetatem. In Matronis carmine, quod est apud Athen. IV. p. 134. v. 30 et 122. memoratur Stratocles quidam, priore loco certans cum ipso Matrone de mulli capite, adducens meretriculas altero. Matronem igitur cum circa Philippi et Alexandri tempora vixisse demonstraverim ex memoratis Euboeo et Chaerephonte: non absurda videtur esse conjectura, Stratoclem esse eum oratorem et sophistam, quem Lycurgo Demosthenique aequalem turpiter adulatum esse Antigono atque Demetrio tradat Plutarch. Demetr. 11. 1). Non potest vir a Matrone significatus ipso nomine apud cives ignotus fuisse. Sed accedit etiam aliud. Ex Ruhnk. disputatione apparet, Stratoclem rei Venereae magnopere deditum fuisse, cum amorum ejus testes satis multi ab eo afferantur. Atque etiam apud Matronem

1) Cf. Ruhnken. Hist. crit. Or. Gr. p. 347. ed. Friedeman. (p. 32. ad Rutil. Lup.)

ipse ille Stratocles est is, qui finito convivio meretrices adducat. Consuetudinem vero habuisse cum iis Stratoclem, simul innuit verbis: ἅς Στρατοκλῆς ἤλαυνε, quae, qua sunt ambiguitate, eum cum his concumbere solere significant. cf. Schweigh. ad h. l. — Restat, quem Matron apud Athen. IV. p. 134. v. 2. nominat, Xenocles rhetor Atheniensis. At de eo nihil novi, cum duos poetas tragicos hujus nominis huc non pertinere appareat. Fortasse tamen schol. ad Aristoph. Ran. 86. de his agens rhetora significavit, cum addidit: τρίτος δὲ ἐστὶ τούτοις ὁμώνυμος, πολιτικὸς, φαύλου μὲν πατρὸς, τῷ δὲ δήμῳ Χολαργεύς. Sed ne ex his quidem colligi quidquam potest. Quae cum ita sint, Matronem circa exitum quarti a. Chr. saeculi, sive circum Ol. 110 — 115. vixisse statuo.

Ceterum de parodi vita nil scimus. Re tamen familiari fuisse eum parum larga, colligitur ex eo, quod dicit apud Athen. IV. p. 136. D. v. 91 sqq.

§. 3.

DE MATRONIS PATRIA.

Recte historiae literariae scriptores recentiores, ut Schöll. II. p. 106. Groddeck. II. p. 23, Matronem dixerunt Pitana fuisse oriundum. Apud Athen. atque Eustath. quamquam plerumque ad Matronis nomen patria non sit adjecta, tamen apud Athen. I. p. 5. A. et Suid. dicitur Pitanaeus. Ubi cum vulgo legatur Ματρέας, tamen conjecturae Schweigh. Μάτρων corrigentis supra studui veri similitudinem conciliare. Pitana autem est oppidum in Mysia situm, Aeolensium adscriptum civitatibus. cf. Herod. I. 149. Quominus de Pitana Laconica cogitemus, prohibet ipsum

nomen. Hujus enim oppidi sive vici civis nominatur Πιτανάτης, cf. Strabo V. p. 250. B. Herod. IX. 53. Thuc. I. 20; Aeolicae vero urbis Πιταναῖος [1]). Etiam Arcesilaus philosophus, Pitana ortus, quamquam nominatur apud Diog. La. V. 6, 28. Πιταναῖος τῆς Αἰολίδος: fuerunt tamen, qui ad Laconicam Pitanam referrent, cf. Menag. ad Diog. l. l. Aeolicam Pitanam intelligit etiam Schweigh. ad Athen. I. p. 5. A. Sed ne ita quidem mirum, quod nominis forma videatur Dorica. Nam quod Strabo VIII. p. 333. A. dicit, eandem fuisse Doricam Aeolensiumque dialectum: id de magna utriusque similitudine accipere nihil vetat. Athenis idem Matron commoratus est. Namque et Athen. IV. p. 134. D. convivium, cui interfuit iste, nominat Ἀττικὸν δεῖπνον, et ipse Matron v. 2. ἐν Ἀθήναις coenam a Xenocle paratam esse diserte testatur.

§. 4.

DE CARMINIS MATRONEI RATIONE.

Et poematum Matronis nomen ferentium, quae supersunt, fragmenta, et sempiternum ejus epitheton: ὁ παρῳδός perspicue demonstrant, poesin ejus si non totam, maxima tamen ex parte versatam esse in eo genere, quod veteres nominaverunt παρῳδίαν. Quo in genere eum fuisse principem, una est vox cum Athenaei Eustathiique, tum recentiorum, qui de eo egerunt, scriptorum [2]). Quod in capite primo dixi, magnificorum verborum rerumque vilium iis expressa-

---

1) Steph. Byz. de urb. *Πιτάνη, πόλις Αἰολίδος, ὁ πολίτης Πιταναῖος.*

2) H. Steph. Hom. et Hes. Cert. p. 81. Moser l. l. p. 293.

rum oppositione contineri potissimum vim parodiae comicam: id quam maxime valet de Matrone. Quibus enim verbis apud Homerum dii describuntur eorumque facta et munera, vel heroes acerrime decertantes: iisdem usus est Matron ad depingendum coenae cupedias, officia servorum, convivarum denique de cibis certamina [1]). Cujus rei exempla libet haec afferre: v. 12, 33, 50, 95. Deinde etsi parodia ignotum quendam scriptorem referens vix digna sit, quae nominetur parodia: est tamen aliquid, loci ob praestantiam ab omnibus summa laude elati sublimitatem tollere parodica mutatione. Atqui parodia praedicatissimum quemque locum referens maximum risum movet. Ex quo genere sunt Matronis versus 1, 36, 41, 95, 119. Denique ne id quidem fugere nos potest, quo parodia propius ad referendum exemplar vel literarum sonitu accedit, videri eam eo elegantiorem. Quod imprimis efficitur mutatione in finem versus reservata, quoniam ita lector velut suspensus tenetur. Quare longe praestare semper mihi visi sunt versus Matronis 3, et qui sunt apud Athen. III. p. 73. E. Homerici enim loci, quos parodiae istae imitantur, Odyss. VI. 164, XI. 576. paucis tantum literis ab ipsa parodia distant. Atqui quam ridicule sententia est mutata!

De rebus quaerenti, quas parodiis tractaverit Matron, solum id carmen respiciendum est, quod apud Athen. IV. p. 134. legitur. Hujus enim unius servati sunt versus satis multi. Est autem in eo descripta coena Xenoclis rhetoris Atheniensis opipara, cui ipse interfuit. Cujus cum major pars contineretur

---

1) In carmine parodico apud Athen. IV. p. 134.

piscibus omnium generum appositis: etiam carminis plus quam dimidium consumitur in iis enumerandis (usque ad versum 104.). In qua parte etsi inveniantur etiam alia fercula: tamen ad cognoscendam illorum temporum lautitiam permultum facit. Luculentissime enim perspicitur, et fuisse tum Athenis ὀψοφαγίαν istam, quam, qui priscam morum simplicitatem sectarentur, vehementer improbabant, et quaenam piscium genera potissimum appetierint istius temporis homines. In ipso autem convivio haud ita modeste versatos esse docent vv. 28—32. Inde a v. 111. sequitur mensa secunda; qua peracta meretrices sive saltatrices adducuntur. Quae si contemplamur, non potest non oriri quaestio, utrum quos nobis servavit Athen. versus effecerint integrum carmen, an (quae plerorumque est sententia) habendi sint pro majoris carminis fragmento. Atque Athen. quidem cum Plutarchum fecit dicentem: Ἀττικὸν δεῖπνον διαγράφει Μάτρων, ὅπερ διὰ τὸ σπάνιον οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι — ἀπομνημονεῦσαι, significare videtur, integrum Matronis carmen jam sequi. Deinde cum quae sunt aliorum carminum componendorum leges, eae in parodiam, quae est natura ejus, vix cadant: ne finem quidem mirari possumus post absolutam coenam praerupte impositum. Habet adeo comicam quandam vim, quod cum carminis initium moliri videatur amplum opus aliquod, ipsum tamen carmen arctis finibus circumscriptum est. At sunt apud Athen. alia fragmenta, quae hoc in carmine videntur fuisse posita: XIV. p. 656. II. p. 62. C. Quorum alterum ipse Athen. ex Matronis Convivio petitum esse dicit. Ita cum in hac convivii descriptione excidisse nonnulla negari non

possit (cf. v. 24, 92.): etiam alterum fragmentum, quod appositos cibos recenset, ad eam pertinuisse arbitror, quamquam, quo loco inserenda sint, non definio. Quae sunt praeter haec Matronearum parodiarum fragmenta apud Athen., ut IV. p. 183. A. XV. p. 697. F., ea et ipsa ad convivium pertinuisse demonstrari non potest. Ita etsi non omnes hujus carminis versus servati sint, tamen ultra terminum, quem habemus, non productum fuisse arbitror.

Sed alia quaestio mota est, ne illa quidem silentio mihi praetereunda. Osannus enim Anal. Crit. p. 74. haec habet: »Athen. II. p. 64. C. si confers cum IV. p. 134. E. aliisque collatis, duplicem vides olim exstitisse Matronis parodiae δεῖπνον dictae recensionem.« Quibus addi potest IV. p. 135. C. et III. p. 73. D. In utroque enim loco iidem fere versus leguntur. Sed priusquam carminis, qualis est parodia, duplicem recensionem fuisse statuamus; omni modo videndum est, an non possit res alio modo expediri. Fabula quidem scenica iterum agenda ab auctore denuo tractatur; at carmen parodicum in lucem semel editum praebetur nulla retractandi ansa. Parodias autem componendi cum sit maxima libertas, poetae versus non una, sed innumeris parodiis referri potest. Ita etiam Matron versum jam antea parodia expressum denuo usurpare potuit ad componendam aliam parodiam fortasse simillimam. Sed duplex ejusdem carminis recensio statuenda non est ideo.

Restat, ut dicam de natura quadam Matronei carminis propria. Videtur enim auctor de industria elegisse ex Homero eos versus, in quibus memorentur dii et heroes, vel res ad eos pertinentes. Namque ad

partes vocantur tum Zeus, Poseidon, Apollo, Hephaestus, Demeter, Dionysus, Thetis, Iris, alii; tum Tityus, Astyanax, Antenor, Ajax. Uti tanta Coelicolarum multitudo vix fortuito in unum carmen idque satis exiguum coacta est: ita divinarum rerum irrisio talis, qualis toto poemate profertur, non cadit nisi in aetatem a prisca religione longissime abhorrentem.

CAPUT VIII.

EUBOEUS PARIUS.

Philippi Macedonum regis aetate inter parodos maxime floruit Euboeus Parius. cf. Athen. XV. p. 698. A. At vita ejus prorsus ignota. Lil. quidem Gyrald. de Poett. hist. II. p. 488. tradit historiolam huc spectantem, quam germanice reddidit Moser. l. l. p. 301. Euboeum, quum urbi Athenarum maledixisset, et in eum ideo Athenienses essent animadversuri, nulla alia re liberatum esse, nisi recitatis quatuor parodiarum libris, qui adeo probati essent omnibus, ut Athenienses ipsi indignum duxissent, talium poematum auctorem perdere. Sed cum neque Gyraldus hujus narrationis auctorem afferat, neque ipse invenerim: nata mihi est suspicio, num forte tota haec historiola composita sit a Gyraldo (Mosero enim ipsum Lilium esse pro fonte apparet, quamquam ipse Athenaeum laudat) ex iis verbis, quae sunt apud Athen. XV. p. 698. B. 1).

1) *Οὗτός ἐστιν ὁ καὶ Ἀθηναίοις λοιδορησάμενος, καὶ σώζεται αὐτοῦ τῶν παρῳδιῶν βιβλία τέσσαρα.* In quibus Athenarum quidem objurgatio est, sed nil de liberato poeta. Conje-

Haec autem utut sunt, admodum insignes fuisse ejus parodias, Polemo apud Athen. l. l. significat, et *ἐνδοξότατον* eum dicens, et *λόγιον διὰ τὸ παίζειν ἀμφιδεξίως καὶ τῶν προγενεστέρων ποιητῶν ὑπερέχειν.* Sed non defuerunt inter ipsos Euboei aequales, qui aliter de eo judicarent. Namque Matron apud Athen. XV. p. 697. F. quamquam inter optimos eum refert, laudasse modo videtur, ut, pro parodiae indole, ipsa laude acrius eum rideat. Deinde Alexander Aetolus in carmine elegiaco, quod est apud Athen. XV. p. 699. C., comparans Euboeum cum Boeoto aequali, dicere non veritus est, qui Boeotum audivisset, eum Euboeo ne minimum quidem iri delectatum.

Composuit autem Euboeus parodiarum opus satis amplum, cum exstare ejus libros quatuor Polemo memoret; unde fuisse etiam plures suspiceris tum jam perditos. Nobis vero, quantum sciam, nihil earum servatum est, nisi duo fragmenta, eaque valde exigua, apud Athen. XV. p. 699. B. Quorum prius [1]) cum agat de tumultu tonstrinarum ipsorumque tonsorum certaminibus, alterum describat rixam tonsoris cum figulo de uxore exortam: non inepte ex his conjicias, descriptam esse carmine ab Euboeo tonsorum pugnam versibus Homeri parodice redditis, praesertim cum Boeotum, parodum et ipsum, cerdones traduxisse parodiis Homericis tradat Alex. Aetol. apud Athen. XV. p. 699. C. Quod vero Polemo dicit, Euboeum *πολλὰ εἰρηκέναι ἐν τοῖς ποιήμασι χαρίεντα*, ei

---

cturae autem meae favent et verbi *σώζεσθαι* ambiguitas, et quod ipsis quatuor libris recitatis Euboeum poena liberatum esse narret Gyraldus.

1) Quod totidem verbis legitur apud Eustath. p. 1224, 57.

fidem habendam esse, opinor, vel ex his fragmentis intelligitur. Neque opus est monere, quantae facetiae sint in eo, quod ipse figulus dicitur Πηλείδης [1]).

CAPUT IX.
BOEOTUS SICULUS.

Non plura, quam de Euboeo, ipse Pol. apud Athen. tradidit de Boeoto. Dixit quidem XV. p. 698. B. γράψαι παρῳδίας et ipsum, nec laudis Euboeo tributae (λογίους ἂν φήσαιμι διὰ τὸ παίζειν ἀμφιδεξίως καὶ τῶν προγενεστέρων ποιητῶν ὑπερέχειν) expertem eum reddidit, sed praeterea ipse quidem nihil adjecit. Unde factum est, ut Fabric. I. p. 550. nihil habeat, nisi haec: »Boeotus quidam parodiarum scriptor.« Sed exstat epigramma elegiaco metro conscriptum Alexandri Aetoli, servatum apud eundem Athen. XV. p. 699. C., quod Boeoti epitaphium fuisse non sine veri specie conjecit is, qui nuper Alex. Aetoli fragmenta collegit [2]). Quod quamquam mendis sic deformatum fuit, ut ipsi Casaubono »animus deesset, eorum emendationem aggrediendi, et quae in eo monstra essent, debellandi«: tamen ipsius Casauboni aliorumque doctrina et divino paene acumine factum

---

1) Simillimus lusus est in Batrach. 19 et 209, ubi rana quaedam nominatur *Πηλεύς* et filius ejus *Πηλείων*. Aliis etiam jocis ansam dat iste Peleus. Qui ubi componitur cum Oeneo, ipse cadum significat, hic vinum cado inclusum.

2) Alex. Aetoli fragmenta collecta et illustrata ab Aloys. Capellmanno. Bonnae 1830. p. 39.

est, ut quae in eo carmine spectent ad Boeotum parodum, ea haud ita magnis impedita difficultatibus inde excerpere possimus [1]). Etiamsi enim non omnes interpretes de singulorum verborum emendatione consentiant: tamen neque hujus loci est amplius de iis disputare, et sententias in universum effecerunt easdem. Fatendum quidem est, ipsum Boeoti nomen in hoc carmine mera conjectura Casauboni niti pro Βοιωτοὺς v. 9. legentis Βοιωτοῦ. At est ea conjectura et probata omnibus, et probabilis, si qua alia. Polemo enim in ipso de parodiarum scriptoribus opere cum post memoratos modo Euboeum Boeotumque laudaret elegiacum carmen Alexandri Aetoli, quo etiam apud Siculos parodos istos in dignitate fuisse demonstraret: in eo non Boeotos minime huc pertinentes, sed Boeotum parodum commemorari tuo jure exspectas. Ceterum contigit, ut in carmine isto, quae pertinent ad Boeoti vitam, mores, scripta, ea omnia reperias memorata: id quod in epitaphium optime cadit. Apparet vero Boeotum ab Agathocle, Siciliae tyranno, patria urbe (Syracusis, vel alia quadam urbe Sicula) ejectum, multum diuque apud exteros vagatum, in Aegypto demum, ut suspicatur Capellm. p. 39, esse sepultum. Ita confirmatur etiam illud, quod ex ratione, qua Polemo l. l. Euboeum et Boeotum commemorat, non sine veri specie potest colligi, utrumque parodum eodem fere tempore vixisse. Generis nobilitate, hospitalitate, ingenio denique excellens vehementer idem puerorum amori indulsit.

1) Praeter Athenaei interpretes emendando interpretandoque huic carmini operam dederunt Jacobs. Animadvv. ad Anthol. I. II. p. 244, et Capellmann. l. l. p. 62 sqq.

Inde a v. 5. sequitur Boeoteae poeseos descriptio. Quam ut parodice retulisse Homerum (παρ' Ὁμηρείην etc. παρά vox propria est de hac re) significavit, ita circum quasnam potissimum res versata esset, enumeravit Alexander. Atque eae (cerdones, fures impudentes vel si quis castratus) ab Homericis alienissimae, Homericis versibus descriptae movendo risui quam aptissimae erant. Denique quae in fine carminis instituitur comparatio Boeotum inter Euboeumque: ea utri principatum tribueret, dubitatum est. Schweigh. enim ita interpretatur: »quicunque Boeotum audiverit, ei haud parum (imo multo magis) placiturum esse Euboeum.« Contra eum quae Capellm. protulit, sunt ea quidem recte disputata, sed rem tamen non absolvunt. Mihi quidem maxime contra Schweigh. facere videntur verborum οὐδ' ὀλίγον et collocatio (debebat enim esse: οὐδ' Εὐβοίῳ τέρψεται ὀλίγον) et usus. Ex hoc enim verba ea non possunt non significare: ne minimum quidem. Alexander igitur longe praeferendum duxit Boeotum Euboeo. Num recte, nos quidem dijudicare non possumus, cum Boeoti parodiarum, quantum ego sciam, fragmentum servatum sit nullum. Quod Capellm. autem dixit, Euboeo, si ab uno Boeoto superaretur, et ipsi magnam laudem tribui: id ipsis illis verbis οὐδ' ὀλίγον refellitur. Nam si tantum intervallum est inter utrumque, ut audito uno alter ne minimum quidem placeat, non potest secundum praemium ita relatum magnae laudi esse.

CAPUT X.

SOPATER PAPHIUS.

De Sopatro haec habet Suidas: Σώπατρος κωμικός· τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ἱππόλυτος, Φυσιολόγος, Σιλφία ἢ Κνιδία, Νεκυῖα, Πύλαι, Ὀρέστης, Φακῆ ὡς Ἀθηναῖος ἐν Δειπνοσοφισταῖς. Deinde haec sequuntur: Σώπ. παρῳδός. τοῦτού ἐστι δρᾶμα Βακχὶς, ὡς Ἀθην. ἐν Δειπνοσ. Vides igitur apud Suid. de duobus poetis sermonem esse, altero comoediarum scriptore, parodiarum altero. Nam quo discrimine separati sunt loci disputantes de nonnullis aliis hominibus eodem Sopatri nomine insignitis, idem inter hos intercedit. Quod num sit recte factum a Suida, disputatum est a VV. DD. Ipse quidem Küster. ad Suid. perperam dicit diversos ab eo factos esse comicum et parodum, non addens tamen causas, cur ita statuat [1]. Quo factum est, ut in duas quasi partes abirent VV. DD. Lil. Gyrald. II. p. 389. Suidam secutus dicit: »fuit et alter Sopater, qui parodias scripsit« itidemque Voss. Poet. Gr. p. 96. Fabric. II. p. 492. Contra Casaub. ad Athen. III. p. 119. A. comicum putat eundem esse, qui parodus hic illic nominetur. Moserus denique l. l. p. 300. etsi eo inclinet, ut et parodias et comoedias ab eodem compositas esse putet, adhuc tamen, inquit, lis est sub judice. Quae cum ita sint, jam erit videndum, num quid fortasse ex ipsius Athen. locis accuratius inter se comparatis possit enucleari. Evenit enim, ut, cum Suidas disputans et de comico poeta et de parodo provocaverit

---

1) Idem ante Küst. judicavit Stanlej. ad Aeschyl. Cho. 294.

ad ipsius Athenaei auctoritatem, num recte ab eo factum sit, ipsi possimus judicare. Primum vero moneo, non magnam esse Suidae auctoritatem in ejusmodi rebus, quippe quem negligentissime versatum esse in excerpendo Athen., et aliunde constet [1]), et pluribus exemplis demonstraverit ipse ille Stanl. l. l. Ut in universum loci, quibus Athen. de Sopatro disputat, non sunt ejusmodi, ut non possint referri ad unum poetam: ita sunt nonnulli, qui unum fuisse certissime demonstrent. Ad hos igitur imprimis attendendum. Athen. XIV. p. 649. A. drama πύλαι tribuitur τῷ φλυακογράφῳ Σωπάτρῳ; at IV. p. 175. B. eadem fabula dicitur esse Σωπάτρου τοῦ παρῳδοῦ. Quam cum Suid. tribuat Sopatro, comico poetae, hunc non alium esse intelligitur, atque parodum. Prorsus eodem modo Athen. VI. p. 230. C. fabula φακῆ refertur ad parodum, et XV. p. 702. B. ad φλυακογράφον. At et ipsa haec fabula apud Suid. tribuitur Sopatro comico. Nonnullos alios locos idem demonstrantes omitto. Ita effici arbitror, ut, nulla auctoritate Suidae tributa, putemus fuisse unum Sopatrum, qui et parodias et φλύακας composuerit, quemque Suidas vocet comicum poetam [2]). Namque videndum est, an, quas fabulas Athen. et Suid. tribuant Sopatro, eae non fuerint φλύακες potius, quam verae comoediae, ita ut omnino comicus poeta non nominandus sit Sopater. In quam rem cum huc non pertineat altius inquirere: satis habeo monuisse, apud Athen. neque Sopatrum

---

1) Cf. supra de Hippye et de Hegemone.

2) Neque id mirandum. Hegemon Thasius, parodus clarissimus, et ipse scripsit comoediam. Cf. supra p. 27.

nominari usquam comicum poetam, neque fabulas ejus comoedias, sed dramata, quod nomen in φλύακας non minus cadit, quam in comoedias.

Quae si vera sunt, etiam quo tempore vixerit Sopater, apertum est. Athen. enim II. p. 71. B. dicit, Sopatrum Papho insula oriundum vixisse aetate Alexandri Macedonis, eundem tamen Ptolemaei Philadelphi tempora attigisse. In qua re eo major fides habenda est Athenaeo, quod ipsius Sopatri σύγγραμμα laudat ad id probandum. Moser. vero l. l. p. 325. adeo dubitat, num Sopater, quem Paphium Athen. Alexandri temporibus vixisse tradat, sit idem parodus. At ea dubitatio tollitur, Athen. III. p. 119. A. si contuleris cum IV. p. 175. C. In altero enim loco fabula tribuitur Paphio Sopatro, in altero eadem parodo. Ceterum de Sopatri vita satis longa ego quidem nihil habeo cognitum. Nam quem Athen. locum (VI. p. 244. F.) Moser. laudat, quo fuisse eum inter Antiochi regis parasitos demonstret: in eo Schweigh. et Dind. pro Σώπατρον dederunt ex codd. Σώστρατον [1]). Accepit Sopater cognomen φάκιος teste Athen. IV. p. 158. D., prorsus simile isti, quod Hegemoni Thasio inditum esse supra monui, cf. p. 28. Cujus rei causa quamquam posita esse potest vel in eo, quod Sopater conscripsit fabulam φακῇ inscriptam [2]), vel in eo, quod, cum oriundus esset Papho insula, facilis erat commutatio Paphii in Phacium: tamen necesse est, ut fatearis, nisi apud Graecos erat in ipso lenticulae

1) Sostratus, legatus ad Antiochum regem missus, est etiam apud Sext. Emp. adv. Math. I. 276. 293.

2) Inde repetiit nominis originem Schweigh. ad Athen. IV. 158. D. et Capellm. l. l. p. 31.

nomine acuta quaedam vis nobis ignota, satis frigidum fuisse nominibus ludendi modum.

Sopatri scripta, phlyaces et parodiae (de comoediis dubitandum esse supra monui) magna ferebantur fama: nec minus παρῳδός nominatur apud Athen., quam φλυακογράφος. De phlyacum ratione egit Capellm. l. l. p. 22 sqq. cf. Müller. Dor. II. p. 364 sqq. Matter. Essay sur l'école d'Alex. I. p. 103. Homerum vero eos referre parodice, nec fragmenta testantur [1]), nec veterum scriptorum de iis loci: Athen. XV. p. 621. F. (quem exscripsit Eustath. p. 884, 26.) et Steph. Byz. de urbb. s. v. Τάρας· Ῥίνθων Ταραντῖνος φλύαξ τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον. Deinde parodias fuisse et multas et insignes inde intelligitur, quod Sopater eodem modo, quo Matron, apud Athen. pluribus locis nominatur ὁ παρῳδός. At earum fragmenta magnopere doleo servata esse neque apud Eustath., neque apud Athen., ceterarum parodiarum largam apothecam.

1) Earum fabularum fragmenta dico, quas Athen. Sopatri δράματα vocat. Neque enim exstat, quod ex phlyacibus esse certo sciamus. Osann. quidem Anal. rei scen. p. 73. conjecit, Sopatri fragmentum apud Athen. XIV. p. 656. F. fuisse hexametrum; quam conjecturam probavit Müller. Dor. II. p. 365. At ea conjectura quamvis sit probabilis, nihil tamen ad me attinet. Neque enim Homericae parodiae speciem habet versus iste, et, si esset, raro tantum trimetris iambicis, quod solitarium metrum est phlyacum, hexametri admixti sunt concedente etiam Müllero l. l.

CAPUT XI.

TIMON PHLIASIUS SILLOGRAPHUS.

Οἱ τοῦ Τίμωνος σίλλοι βιβλία δ' μόνα παιδεύει τούς γε ἐπιθυμοῦντας τῶν καλῶν.

Athen. IV. p. 159. F.

Inter Pyrrhonis discipulos philosophiam ad magistri exemplum sceptice exercentes locum non infimum obtinuit Timon Phliasius [1]), vivens Antigoni Gonatae Ptolemaeique Philadelphi temporibus h. e. circa 270 a. Chr. [2]). cf. Diog. La. IX. 12, 110. At de ejus philosophia disputare non magis attinet, quam de scriptis ejus quaerere, quorum non exiguus numerus apud veteres exsistebat [3]). Hoc autem loco cum de sillis tantum Timonis agere constituerim: quid sibi velit in universum sillorum nomen, explicandum est. Sed quoniam de hujus verbi etymologia gravis lis est inter VV. DD. (cf. Schöll. hist. lit. Gr. II. p. 105. Paul. de Sill. Gr. p. 7 sqq.): tutius videtur esse, ea prorsus omissa quaerere [4]), quae sillo-

1) ὁ προφήτης τῶν Πύῤῥωνος λόγων, Sext. Emp. adv. Math. I. 53, ubi cf. Fabric. annot.

2) Non confundendum esse hunc cum Timone μισανθρώπῳ belli Peloponnesiaci temporibus vivente jam monuit Diog. La. l. l.

3) Diog. La. IX. 12, 110. recenset LX tragoedias, XXX comoedias, ceterum cf. Fabric. III. p. 623.

4) Mihi quidem maxime probata est ea etymologia, quam Paul. de Sillis Gr. p. 11. amplexus est, ducens vocem ab ἴλλος.

rum notio erui possit ex fragmentis, quae supersunt, praesertim cum et ex omnibus radicibus eadem vocis significatio exsistat, et eodem modo verbum explicuerint omnes veteres lexicographi. Sillographorum nomen tribuit Paul. p. 14. hisce poetis: Homero, Xenophani, Timoni, Didymo Chalcentero. Atqui Homero Paul. nimium tribuit honoris, inter ipsos sillographos recenseri eum ab Eustath. dicens. Is enim p. 204, 22. haec habet: *οὐ μόνον Ξενοφάνης πεποίηκε σίλλους, ἐν οἷς εὐδοκίμηκεν, ἀλλὰ καὶ τούτου τοῦ εἴδους πρῶτος κατῆρξεν Ὅμηρος, ἐν οἷς αὐτός τε τὸν Θερσίτην σιλλαίνει, καὶ ὁ Θερσίτης τοὺς βασιλεῖς* [1]). Itaque spero fore, ut ignoscatur mihi, si de sillorum notione agens Il. II. 212. omitto. De Xenophanis sillis supra dixi p. 16 sqq. At ne eorum quidem multa fragmenta servata sunt. Deinde Paul. l. l. Didymum Chalcenterum quartum ponit sillographum, sed nisus ille quidem uno Amm. Marc. loco, XXII. 16, quo is sillographos imitatus vituperasse quaedam dicitur in Ciceronis libris de republica, cf. Kuester. ad Suid. Τράγκυλλος. Is quatenus sillographos imitari dicatur, postea explicare conabor. Patet igitur, solum Timonem esse relictum, ex quo, nonnunquam Xenophane in auxilium vocato, aliquam saltem sillorum imaginem possis adumbrare, cum fragmentorum post Stephan. et Brunck. collegerit Paul. multitudinem satis amplam. Atqui is, quamvis diligenter perlustraverit radices etymologicas, a quibus sillorum nomen ducere ulli unquam in mentem vene-

---

1) Nec plus dicit schol. Villois. ad Hom. Il. II. 212: *ἤδη δὲ οὐ Ξενοφάνει ἀλλ' Ὁμήρῳ πρώτῳ σίλλοι πεποίηνται*

rit [1]): tamen distinctam hujus poeseos definitionem non proposuit. Quam si nonnulli (cf. Casaub. Sat. Po. p. 219. Ramb.) voluerunt definire hoc modo, ut sillos esse dicerent maledicta cum risu: spectaverunt ii modo res sillis tractatas (quamquam ne has quidem omni ex parte), negligentes omnino compositionis rationem, quae ad efficiendos sillos accesserit necesse est [2]). Qui enim factum est, ut cum multi poetae in hominum vitia erroresque acerbis carminibus invecti essent, duo tantum vel tres sillographorum nomine insignirentur? Itaque non in omnia carmina ridendo castigantia cadit sillorum nomen: sed ea modo, quae in hominum dogmata sive mythologica sive philosophica invehantur, ita nominari, docent Xenophanis Timonisque silli [3]). Deinde horum compositio est ea, ut dictione utantur, si non omnino, magnam tamen partem parodice ex aliis poetis, imprimis Homero, expressa [4]). Atque de parodica sillorum compositione si quis dubitat, ei profero pro multis aliis frag-

1) Quibus animi causa addo id, quod Lil. Gyrald. II. p. 46. refert, fuisse, qui vocem *σίλλος* a Psyllis, populo Africano, duci existimarent.

2) Idem cadit in definitiones, quas et Matter. Essay etc. II. p. 18. et Lil. Gyr. II. p. 46. proposuerunt.

3) Suid. *Τίμων ὁ γράψας τοὺς καλουμένους σίλλους, ἤτοι ψόγους τῶν φιλοσόφων βιβλία γ'.* Hinc vel illud explicandum est, quod Did. Chalc. Ciceronis placita de republica reprehendens sillographos potissimum imitari dicitur apud Am. Marc. cf. supra p. 51.

4) Cf. Sallier. Discours etc. p. 406. Paul. p. 28 sq. unum exemplum affert, quod ex Hippone Atheo sumserit, tragicos poetas imitatum eum esse recte negans. P. 29 sqq. collegit locos parodia ex Homero expressos.

mentum Timonis apud Clem. Al. Strom. V. p. 550. ed. Sylb.

τίς γὰρ τούςδ' ὀλοῇ ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Ἠχοῦς συνδρομός ὄχλος· ὁ γὰρ σιγῶσι χολωθεὶς
νοῦσον ἐπ' ἀνέρας ὦρσε λάλην, ὀλέκοντο δὲ πολλοί.

Apparet dicta ab Homero in Iliadis initio graviter magnificeque ad res viles ludicro modo esse translata. Accedunt veterum testimonia: Diog. La. IX. 12, 111. ἐν οἷς λοιδορεῖ . . . ἐν παρῳδίας εἴδει, Eustath. p. 1404, 2. ὁ παρῳδὸς Τίμων . . . . παραποιήσας, quae est vox propria de componendis parodiis; cf. Ramb. ad Casaub. de Sat. Poes. p. 223. [1]). Quae cum ita sint, sillorum notio ita definienda videtur, ut dicamus esse: carmina, quae hominum dogmata heroico metro irrideant versibus potissimum parodice compositis. Ita vel illud perspicitur, similitudinem, quam Casaub. l. l. p. 219 sq. sillos inter Romanorumque satiram intercedere dicit, eam ex parte tantum esse veram.

Neque tamen contenderim, sillorum notionem semper tam arctis finibus fuisse circumscriptam, sed

1) Jam potest ferri judicium de eo, quod Groddeck. hist. lit. Gr. I. p. 144. et II. p. 24, et alii dixerunt, Timonem perpetuis usum esse parodiis. Multum negotii, opinor, iis facesseret, si demonstrare deberent, quo ex scriptore quodvis sillorum fragmentum esset petitum. Rectius Moser. l. l. p. 302: »Die Sillen sind mit Parodien der berühmtesten Dichter durchwebt«; sed ne is quidem Homero satis tribuit. Ceterum Timonem parodiis admiscuisse etiam alliterationis lusus, docet fragmentum ejus apud Athen. XI. p. 505. E.

posteriore tempore vox latiorem significationem accepit eam, qua in universum notaret carmen irrisorium, et quod nos dicimus satiricum. Ita intellexerunt eam, qui ab Homero inde sillorum originem repetunt; ita et Julian. Imp. VII. p. 207. σιλλογράφον, qui mera convicia jaculatur, opponens ποιητῇ, qui rem ita tractaret, ut delectaret etiam legentes. Quin prosa oratione scripta maledictorum plena sillos nominata esse, supra studui demonstrere. Posteriorem vocis usum respexerunt etiam ii, quos propriam sillorum notionem recte definivisse negavi.

De compositione Timonianorum sillorum externa, ut ita dicam, disputavit Diog. La. IX. 12, 111.; valdeque dolendum est, non eadem diligentia ab eo doceri, quae singularis eorum fuerit indoles atque natura interna. Sillorum, ait, tres libri erant [1]), quorum primus habuit αὐτοδιήγητον τὴν ἑρμηνείαν, et μονοπρόςωπον τὴν ποίησιν. Haec verba ita esse intelligenda, ut Timon in primo libro ex sua ipsius persona omnia protulisse continua oratione dicatur, ex eo perspicitur, quod de reliquorum librorum compositione subjunxit Diog. In quibus dixit ita rem institutam esse a Timone, ut ipse per dialogicam formam e Xenophane Colophonio quaeque quaesiisset, ille vero ipsi respondisset. Xenophani autem potissimum id munus injunxisse videtur Timon, quoniam ille et ipse sillos composuit ad traducenda Homeri Hesiodique dogmata mythologica. Timonis autem silli cum fere omnes perstringant [2]), qui a primis inde initiis ad ipsius usque tempora in philosophiam

1) Cf. Suidas s. v. Τίμων.

2) Diog. La. IX. 12, 111. πάντας λοιδορεῖ τοὺς δογματικούς.

incubuerunt: jam quaerendum est, quo nexu tot res tamque diversae philosophorum personae inter se conjuncti fuerint. Qua de re conjecturam quidem Paul. p. 25. proposuit eam, ut philosophos fortasse in fabula quadam versatos esse, vel pugnam commisisse dicat: sed abjecit ipse postea, ubi in fragmentis nulla ejus rei vestigia animadvertit. Sunt tamen, quae conjecturam de inito certamine confirment, ut fragm. apud Clem. Alex. Strom. V. p. 550. D. Sylb. Euseb. Praep. ev. XIV. p. 763. Diog. La. IX. 1, 6., imprimis id, quod est apud eundem IV. 6, 42. Ex quibus non sine causa colligere mihi videor, sermonum certamen institutum esse a philosophis in parte saltem sillorum. Neque obstat, quod Diog. in primo libro *αὐτοδιήγητον* fuisse *τὴν ἑρμηνείαν* Timonis tradit; id enim opponitur tantum dialogicae ceterorum formae. Sed de totius operis compositione inde concludere quidquam vereor, quippe gnarus, quam lubrica sit perditi operis instauratio, et quam facile eo deferamur, ut, quae potuerint fieri, revera facta esse existimemus. — Quin in aliis fragmentis perspicere mihi videor caementa quasi, quibus singulorum philosophorum placita conglutinaverit. Nonnulla enim fragmenta incipiunt a comparatione praecedentem inter et sequentem philosophum instituta, ut fragmenta apud Diog. La. I. 1, 34. IX. 7, 40. II. 8, 66. Sext. Emp. adv. Math. IX. 57. ed. Fabric. Euseb. Praep. ev. XIV. p. 761. In quibus compositio similis videtur esse ejus, qua Hesiodus in Eoeis transitum sibi paravit a descripta heroina una ad describendam aliam.

In secundo et tertio sillorum libro Timon dialogica sermonis forma facile prohibere potuit, quomi-

posteriore tempore vox latiorem significationem accepit eam, qua in universum notaret carmen irrisorium, et quod nos dicimus satiricum. Ita intellexerunt eam, qui ab Homero inde sillorum originem repetunt; ita et Julian. Imp. VII. p. 207. *σιλλογράφον*, qui mera convicia jaculatur, opponens *ποιητῇ*, qui rem ita tractaret, ut delectaret etiam legentes. Quin prosa oratione scripta maledictorum plena sillos nominata esse, supra studui demonstrere. Posteriorem vocis usum respexerunt etiam ii, quos propriam sillorum notionem recte definivisse negavi.

De compositione Timonianorum sillorum externa, ut ita dicam, disputavit Diog. La. IX. 12, 111.; valdeque dolendum est, non eadem diligentia ab eo doceri, quae singularis eorum fuerit indoles atque natura interna. Sillorum, ait, tres libri erant [1]), quorum primus habuit *αὐτοδιήγητον τὴν ἑρμηνείαν*, et *μονοπρόςωπον τὴν ποίησιν*. Haee verba ita esse intelligenda, ut Timon in primo libro ex sua ipsius persona omnia protulisse continua oratione dicatur, ex eo perspicitur, quod de reliquorum librorum compositione subjunxit Diog. In quibus dixit ita rem institutam esse a Timone, ut ipse per dialogicam formam e Xenophane Colophonio quaeque quaesiisset, ille vero ipsi respondisset. Xenophani autem potissimum id munus injunxisse videtur Timon, quoniam ille et ipse sillos composuit ad traducenda Homeri Hesiodique dogmata mythologica. Timonis autem silli cum fere omnes perstringant [2]), qui a primis inde initiis ad ipsius usque tempora in philosophiam

---

1) Cf. Suidas s. v. *Τίμων*.

2) Diog. La. IX. 12, 111. *πάντας λοιδορεῖ τοὺς δογματικούς*.

incubuerunt: jam quaerendum est, quo nexu tot res tamque diversae philosophorum personae inter se conjuncti fuerint. Qua de re conjecturam quidem Paul. p. 25. proposuit eam, ut philosophos fortasse in fabula quadam versatos esse, vel pugnam commisisse dicat: sed abjecit ipse postea, ubi in fragmentis nulla ejus rei vestigia animadvertit. Sunt tamen, quae conjecturam de inito certamine confirment, ut fragm. apud Clem. Alex. Strom. V. p. 550. D. Sylb. Euseb. Praep. ev. XIV. p. 763. Diog. La. IX. 1, 6., imprimis id, quod est apud eundem IV. 6, 42. Ex quibus non sine causa colligere mihi videor, sermonum certamen institutum esse a philosophis in parte saltem sillorum. Neque obstat, quod Diog. in primo libro *αὐτοδιήγητον* fuisse *τὴν ἑρμηνείαν* Timonis tradit; id enim opponitur tantum dialogicae ceterorum formae. Sed de totius operis compositione inde concludere quidquam vereor, quippe gnarus, quam lubrica sit perditi operis instauratio, et quam facile eo deferamur, ut, quae potuerint fieri, revera facta esse existimemus. — Quin in aliis fragmentis perspicere mihi videor caementa quasi, quibus singulorum philosophorum placita conglutinaverit. Nonnulla enim fragmenta incipiunt a comparatione praecedentem inter et sequentem philosophum instituta, ut fragmenta apud Diog. La. I. 1, 34. IX. 7, 40. II. 8, 66. Sext. Emp. adv. Math. IX. 57. ed. Fabric. Euseb. Praep. ev. XIV. p. 761. In quibus compositio similis videtur esse ejus, qua Hesiodus in Eoeis transitum sibi paravit a descripta heroina una ad describendam aliam.

In secundo et tertio sillorum libro Timon dialogica sermonis forma facile prohibere potuit, quomi-

nus longa philosophorum series taedium afferret legentibus. Cujus quidem dialogi quamquam in fragmentis nullum certum vestigium relictum est: tamen inde explicandum videtur, quod Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I. 224. Fabric. dicit: *ἐν πολλοῖς ἐπαινέσας τὸν Ξενοφάνην, ὡς καὶ τοὺς σίλλους αὐτῷ ἀναθεῖναι, ἐποίησεν αὐτὸν ὀδυρόμενον καὶ λέγοντα* etc. Sed singulos libros, quamvis varia forma, easdem tamen res tractasse monet Diog. La. IX. 12, 111.

In universum putaverim, inter sillos reliquasque parodias discrimen intercedere simile isti, quod est Hesiodum inter et Homerum. Homeri enim carmina et Matronis (quo tanquam principe utor) non ad alium finem composita sunt, nisi qui in ipsis sitús est; silli autem Hesiodique carmina ea de causa potissimum composita sunt, ut vel doceant, vel tollant ea, quae ab aliis docta sunt. Sillos igitur, quatenus parodice compositos, non injuria vocaveris d i d a c t i c a s p a r o d i a s.

Timonem vero, ut erat acerrimi ingenii [1]), fugere non potuerunt, quae parum certa essent in dogmaticis philosophorum systematis. De quibus judicium tulit plerumque sane maledicum, sed tamen munere ita functus est, ut in plerisque rem acu tactam esse fatearis, et quae recentioribus historiae philosophicae peritis hominibus viderentur summa atque quasi cardo philosophici systematis vel ipsorum philosophorum vitia, eadem vel Timon impugnaret. Ita in fragm. apud Diog. La. IX. 1, 6. Heraclito Ephesio vertuntur vitio tum fastidiosa animi superbia

1) Diog. La. IX. 12, 112. *ἦν δὲ καὶ ὀξὺς νοῆσαι καὶ διαμυκτηρίσαι.*

hominumque contemtus, tum sermonis obscuritas; Euclidem vero Megarensibus λύσσαν ἐρισμοῦ injecisse testatur Timon apud Diog. II. 10, 107. Nonnunquam tamen neglecto veri studio nimium dedit cavillandi ludibrio, ut adversus Epicurum apud Athen. VII. p. 279. F. (cf. IV. p. 163. C.). Unum Pyrrhonem laudibus effert, utpote sceptice philosophandi rationis principem. Quem quamvis oratione vere pia prosequatur [1]), facere tamen non potuit, quin his ipsis Pyrrhonis laudibus convicia in sophistas acerbissima immisceret. Quod vero Sext. Emp. l. l. dicit ἐν πολλοῖς ἐπαινέσαι τὸν Ξενοφάνην, quem aliis locis vehementer aggressus est: id mirari non possumus, cum et Xenophanis philosophia ex parte fuerit sceptica, et ea ipsa verba, quae hoc loco profert Xenophanes, dogmaticis sint opposita.

Veteres Graeci quanti fecerint sillos Timonianos, inde perspicitur, quod ad eos illustrandos ab Apollonide Nicaeo et Sotione Alexandrino commentarii satis ampli conscripti sunt [2]). Ceterum silli tali explicatione prae aliis libris videntur indiguisse, quoniam in iis inveniuntur saepissime voces audacter fictae, et vere glossematicae. Quas Timon vel immutatas ex philosophorum operibus transtulit, vel etiam novas procudit philosophorum nova vocabula fingendi studium irridens. Illi autem commentarii num ad defendendos a Timonis conviciis philosophos conscripti fuerint, non satis certum est. Cf. Casaub. de Sat. Poes. p. 222.

---

1) Diog. La. IX. 11, 65.

2) Diog. La. IX. 12, 109. Athen. VII. p. 336. D. Diog. 112. laudat undecimum Sotionis librum.

nus longa philosophorum series taedium afferret legentibus. Cujus quidem dialogi quamquam in fragmentis nullum certum vestigium relictum est: tamen inde explicandum videtur, quod Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I. 224. Fabric. dicit: ἐν πολλοῖς ἐπαινέσας τὸν Ξενοφάνην, ὡς καὶ τοὺς σίλλους αὐτῷ ἀναθεῖναι, ἐποίησεν αὐτὸν ὀδυρόμενον καὶ λέγοντα etc. Sed singulos libros, quamvis varia forma, easdem tamen res tractasse monet Diog. La. IX. 12, 111.

In universum putaverim, inter sillos reliquasque parodias discrimen intercedere simile isti, quod est Hesiodum inter et Homerum. Homeri enim carmina et Matronis (quo tanquam principe utor) non ad alium finem composita sunt, nisi qui in ipsis situs est; silli autem Hesiodique carmina ea de causa potissimum composita sunt, ut vel doceant, vel tollant ea, quae ab aliis docta sunt. Sillos igitur, quatenus parodice compositos, non injuria vocaveris didacticas parodias.

Timonem vero, ut erat acerrimi ingenii 1), fugere non potuerunt, quae parum certa essent in dogmaticis philosophorum systematis. De quibus judicium tulit plerumque sane maledicum, sed tamen munere ita functus est, ut in plerisque rem acu tactam esse fatearis, et quae recentioribus historiae philosophicae peritis hominibus viderentur summa atque quasi cardo philosophici systematis vel ipsorum philosophorum vitia, eadem vel Timon impugnaret. Ita in fragm. apud Diog. La. IX. 1, 6. Heraclito Ephesio vertuntur vitio tum fastidiosa animi superbia

1) Diog. La. IX. 12, 112. ἦν δὲ καὶ ὀξὺς νοῆσαι καὶ διαμυκτηρίσαι

hominumque contemtus, tum sermonis obscuritas; Euclidem vero Megarensibus λύσσαν ἐρισμοῦ injecisse testatur Timon apud Diog. II. 10, 107. Nonnunquam tamen neglecto veri studio nimium dedit cavillandi ludibrio, ut adversus Epicurum apud Athen. VII. p. 279. F. (cf. IV. p. 163. C.). Unum Pyrrhonem laudibus effert, utpote sceptice philosophandi rationis principem. Quem quamvis oratione vere pia prosequatur [1]), facere tamen non potuit, quin his ipsis Pyrrhonis laudibus convicia in sophistas acerbissima immisceret. Quod vero Sext. Emp. l. l. dicit ἐν πολλοῖς ἐπαινέσαι τὸν Ξενοφάνην, quem aliis locis vehementer aggressus est: id mirari non possumus, cum et Xenophanis philosophia ex parte fuerit sceptica, et ea ipsa verba, quae hoc loco profert Xenophanes, dogmaticis sint opposita.

Veteres Graeci quanti fecerint sillos Timonianos, inde perspicitur, quod ad eos illustrandos ab Apollonide Nicaeo et Sotione Alexandrino commentarii satis ampli conscripti sunt [2]). Ceterum silli tali explicatione prae aliis libris videntur indiguisse, quoniam in iis inveniuntur saepissime voces audacter fictae, et vere glossematicae. Quas Timon vel immutatas ex philosophorum operibus transtulit, vel etiam novas procudit philosophorum nova vocabula fingendi studium irridens. Illi autem commentarii num ad defendendos a Timonis conviciis philosophos conscripti fuerint, non satis certum est. Cf. Casaub. de Sat. Poes. p. 222.

1) Diog. La. IX. 11, 65.

2) Diog. La. IX. 12, 109. Athen. VII. p. 336. D. Diog. 112. laudat undecimum Sotionis librum.

Restat, ut moneam de errore, in quem incidit Schöll. hist. lit. Gr. II. p. 41. dicens Timonem, quamvis benigno hospitio exceptum a Ptolemaeo Philadelpho, gratiam retulisse eam, ut carmen maledicum componeret contra Museum Alexandrinum; quod carmen recenset praeter sillos. Servatum quidem est Timonis fragmentum, in quo philosophos Musei comparat cum avibus pretiosis in cavea nutritis, apud Athen. I. p. 22. D. (cf. Eustath. p. 1488, 61.) Sed nec materia haec idonea est, ex qua integrum carmen componatur, nec quidquam apud Athen. vel Eustath. sententiam eam confirmat. Ut haec res est ejusmodi, quae in sillis fuisse possit, ita sillis adscribendum esse puto hoc fragmentum. Idem Schöll. II. p. 105. Timonem composuisse dicit parodiarum librum, sed non recte. Ego quidem ejus rei nullum vestigium inveni apud veteres scriptores.

Ceterum quod Diog. La. IX. 12, 110. dicit: ἦν δὲ καὶ φιλοπότης, id nimis acerbe non esse dictum, docet Athen. X. p. 438. A., quamquam idem Timon invehatur apud Athen. X. p. 445. E. in eos, qui nimis largam vini copiam hauriant. Apud Athen. igitur l. l. narratur, Timonem et Lacydem, utrumque philosophum, bibendi instituisse certamen. In quo cum priore die Timon reportasset victoriam, abeuntem ebrium Lacydem hoc Homerico versu persecutus est:

Ἠράμεθα μέγα κῦδος, ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον.

Altero autem die quum propinatum poculum haurire non posset Timon, cavillatus est eum adversarius hoc versu:

Δυστήνων δέ τε παῖδες ἐμῷ μένει ἀντιόωσιν.

THESES.

I.

Homerus eosdem fere versus repetens, non fecit suorum ipse carminum parodias.

II.

Hipponax parodiae inventor, quamquam dissentiente Aristot. Poet. II. 5.

III.

Xenophanes Colophonius sillorum opus composuit.

IV.

Matron parodus vixit circa exitum quarti a. Chr. saeculi.

V.

Quae Solonis tempore erant Atheniensium partes, Pediaei, Parali, Diacrii, respondent antiquis terrae Atticae regnis.

VI.

Thucyd. III. cap. 84. ab ipso Thucydide conscriptum est.

VII.

Tempus futurum, quamquam perraro in Homeri comparationibus usurpatum, recte tamen positum est Il. XIII. 707. XVII. 728.

VIII.

Quae sunt apud Plaut. Amphitr. IV. 2, 14 — IV. 5. non a Plauto, sed ab homine quodam aetatis multo posterioris composita sunt.

Opponentium partes sustinebunt:

A. GIEREN, Philol. Candid.

G. SCHWECKENDIECK, Dr. Philos.

Erratum.

P. 18, v. 8. pro tumeo lege tum eo.